



HISTORICA

DE

M. T. CICERONIS OFFICIIS

COMMENTATIO.

TYPIS FAIN ET THUNOT, VIA RACINE, 28.

HISTORICA

DE

M. T. CICERONIS OFFICIIS

COMMENTATIO,

QUAM IN THESIS MODUM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Charles

C.-J. BENOIT,

LICENCIATUS, OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.

> *Sapiens* vitatu quidque petitu
> Sit melius, causas reddet tibi: mi satis est, si
> Traditum ab antiquis *morem* servare, tuamque,
> Dum custodis eges, vitam *famam*que tueri
> Incolumem possum.
>
> *Horat.*, Sat. 1, 4, 114.




PARISIIS.

APUD JOUBERT, BIBLIOPOLAM,

RUE DES GRÈS, 14, PRÈS DE LA SORBONNE.

1846.



OPTIMO ET DILECTISSIMO VIRO

A. N. VIGUIER,

IN GALLICA UNIVERSITATE INSPECTORI, SCHOLÆ NORMALIS ANTEA RECTORI,

HOC GRATI ANIMI MUNUSCULUM OFFERO
DISCIPULUS REVERENTISSIMUS

C. B.

HISTORICA

DE

M. T. CICERONIS OFFICIIS

COMMENTATIO.

PRÆFATIO.

Sapiens vitatu, quidque petitu
Sit melius causas reddet tibi : mi satis est, si
Traditum ab antiquis *morem* servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam, *famam*que tueri
Incolumem possum.

Horat., Sat. I, 4, 114.

Quum in aliis Ciceronis de philosophia scriptis nihil ferme aliud invenerim, quam diversas Græcorum magistrorum de quâlibet re sententias, ordine digestas, atque in utramque partem peroratas; mihi saltem indagare placuit quid tribus in his πρακτικωτέροις libris, quos ad suum Ciceronem *de Officiis* misit, proprium ac vere Romanum civilibusque fontibus haustum inesse deberet. Sæpius nempe in ea disputatione necesse erat, ut ipse partes omnino a magistris omissas expleret, nullius adminiculis, sed, ut dicitur, Marte suo.

Plerique enim Græcorum, procul a rebus tractandis otiose disputantes, umbratilem quamdam ac plane theoricam morum disciplinam instituere solebant, a

communi autem vitæ consuetudine remotissimam : suos igitur discipulos potius ad scolasticas declamationes, quam ad obeunda civilia munia informare videbantur. Romani contra eas artes, quæ nullius momenti essent ad strenue fortiterque agendum, flocci faciebant; bene vivendi quam bene dicendi studiosiores. Quare, cum

Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio,

omissis ferme cæteris philosophiæ disputationibus, Romani eam imprimis quæ de moribus instituitur doctrinam, non modo, ut suam, amplexi sunt; sed ex desidiosa quoque philosophorum palæstra in forum atque in Remp., et in ipsum vivendi usum magis conati sunt devocare. Nec mediocrem laudem in exsequenda illa virtutis compositione, meo quidem judicio, consecuti sunt.

Quæ cum ita sint, ubi ipse Tullius noster, absolutis cæteris philosophiæ partibus, aliquid de honesta vivendi ratione ad filium tandem scribere voluit, etsi Græcorum vestigiis instare, et primum nil præter alteram eloquentiæ suæ materiam quæsiisse videatur; vi tamen ac naturâ ipsius rei, interdum e declamatione ad vulgarem vitæ usum, Romanorumque morum rationem retraheretur, necesse fuit.—Quid igitur ex magistrorum libris desumpserit , quidve extulerit ex semetipso, ut Græcorum subtilitatem Romanæ gravitati, et placita Stoæ Reip. institutis aptaret, disquirere mihi operæ pretium esse visum est.

I.

Quibus in rerum Romanarum asperitatibus, M. Tullius aliquid ad Ciceronem suum de honesta morum disciplina scribere instituit

Neque ab hoc proposito alienum esse arbitror, paucis primum memorare, quo tempore, ac misero rerum publicarum statu, illud opus Cicero susceperit. – Paulo igitur post necem Cæsaris, cum urbem ab Antonii latronibus teneri videret, Brutum vero Cassiumque, cæterosque ἥρωας longe gentium abesse, ipse invitus Roma excesserat. Primumque Athenas profectus, uti suum Ciceronem, Cratippi discipulum, præsens ipse bonis artibus confirmaret, non discessum tamen a patriæ periculis ferre potuit: medioque in cursu, Puteolos rediit, ne, si quid interea Romæ actum esset, ipse desideraretur. Quâ in solitudine, curis æger, magnaque in ἀπορίᾳ incertus, ad philosophiam de more confugerat; si modo exiguam inde doloris oblivionem sibi comparare posset; aut saltem, si minus in curia et in foro, at in litteris navaret Remp.

Quid vero, in his temporum angustiis omniumque rerum confusione, utilius jam esse potuit, quam consularem illum tantæque auctoritatis virum eloquentia partes honesti tueri, civesque ad majorum virtutes, priscamque patriæ caritatem revocare? Plerique enim civium, post tot civiles procellas, eo demum venerant, ut jam unde jus staret, ubinam vere esset patria, quid denique honestum, quid turpe, haud facile dignoscerent (1). Optimi quique desponderant animos, præci-

(1) Vulgatum hoc carmen est, quo triumphantem Cæsarem milites sui prosequebantur: *Si recte feceris, plecteris, si male, Rex eris.*

saque spe opitulandi, Remp. improbis dilacerandam permiserant, ad moriendum tantummodo animosi. Quid enim profuerat dictatorem occidisse, nisi ut regni instrumentum ad deteriores Lepidum Antoniumque deferretur? Mortuo Cæsari Roma quoque parebat; omniaque dictatoris facta, scripta, dicta, cogitataque post necem plus valebant, quam si ipse viveret. Præsens igitur tempus grave, futurum autem multo quoque asperius, cum jam neque leges omnino essent, neque judicia, nec simulacrum aliquod ac vestigium civitatis.

Majoribus quidem, inter tot acerbitates rerum, spes saltem fuerat, libertatem otiumque post civiles tempestates rediturum : privatas præterea calamitates, majestatem imperii contemplando, facilius tolerabant. Nunc vero, præter repetitam improspere libertatem, ipsa illa urbis æternitas cladibus tabescere, et ad occasum vergere prudentibus videbatur.

Quocumque enim oculos circumferrent, nil jam ex prioribus majorum institutis restabat integrum, quo, in tanto omnium naufragio, tanquam in portum homines confugerent. — *Religio* enim jamdudum neminis fidem obtinebat : at cultu quidem deformata, intus vero magis quoque consenuerat : neque quidquam ex antiqua sua veneratione, præter obsoletos ritus, ridiculumve superstitionum apparatum, retinebat. Quænam nempe jam poterat esse augurum auctoritas, postquam omnia divina humanaque pravis improborum libidinibus inservire coegissent? quæ Deorum reverentia, qui in ludis ludibrio impune habebantur? quis impietatis modus, cum ipse J. Cæsar pontifex maximus palam omnia sacra projecisset? Dum principes civitatis, Varroque Ciceroque ipse noster, domi inter epulas, aniles istas ineptias, augurumque somnia illudebant; plebs contra, quæ sacris minus carere possit, spretis patriæ

Diis, in alienas religiones ruere, et quidquid ex Ægypto Asiaque impurissimum afferebatur, consectari. Externis autem cum Diis istis, pravisque cultibus, vitia simul ac corruptelam omnium gentium tanquam in civitatem Roma excipiebat, facta quædam totius orbis sentina.

Senatus vero, alter ille quondam, ut Cineæ videbatur, Deorum immortalium cœtus, jamdudum vitiis omnibus adeo laborabat, ut non modo censores, sed etiam judices omnes defatigare potuisset. Quænam præterea Curiæ jam facies esse debuit, postquam victor Cæsar non libertinos modo, sed quosdam quoque e semibarbaris Gallorum post triumphum in patrum numerum recepit (1)?— Quin etiam, in hac omnium gentium colluvie, *Plebs* ipsa vetus, tanquam absorpta, ferme interierat. Quod si, patrum quidem memoria, P. Nasica jam Romam indignabatur servorum gregibus, quorum noverca esset Italia, perturbari; quam paucos ex priscis civibus, præsertim post Marianas Syllanasque clades, novissimaque civilia bella, restitisse credas, qui in se pristinæ civitatis imaginem referrent? Hanc igitur adulteratam urbem,

nulloque frequentem
Cive suo Romam, mundi sed fæce repletam,

seniores vix agnoscebant. Quin forum ipsum alio Cæsar transferre voluerat, ut, novis mutatisque omnibus, multitudo minus priorem libertatem ac Reip. statum recordaretur. Quid mirum igitur, si, ipsa deficiente, ut ita dicam, patria, insita quoque illa Romano vivacissima patriæ caritas interdum defecisse videatur? Ipsam enim civitatem, ipsum senatum, jura, leges, li-

---

(1) Gallos Cæsar in triumphum ducit, idem in curiam;
Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumserunt.

bertatem, in castra secum Pompeius Cæsarque asportaverant: jam quidquid veteranis libuisset, pro decretis Patrum, pro populi jussis erat: milites autem, ab urbe semper relegati, nullam aliam patriam, quam sua castra, nullum Deum indigetem, præter ducem suum, vereri mox assueverant (1). Cuncta igitur jam pridem vi tantummodo et armis decernebantur; omnisque honestas in communi rerum naufragio una videbatur periisse.

In eà profecto morum depravatione paulisper commorandum fuit, ut inde manifestius illustraretur singularis illa vis ingenii, patriæque caritas, qua Noster supra communem omnium imbecillitatem, in hoc fere supremo suo opere, sese extulerit. Dum cæteri quidem nihil prorsus aliud curabant, nisi villulas, nisi nummulos suos, solus ipse animi constantiam spemque libertatis his studiis erigebat confirmabatque: atque interea amicos epistolis refovebat, moxque Romam regressus languentem ac defessum senatum eloquentia excitabat, urgebat: totam denique solus complectebatur patriam, solus leges nondum periisse, aliquamque esse Remp. testabatur. — Nam Brutum ipsum Cassiumque, postquam, interfecto Cæsare, multitudinem jactato nequidquam libertatis patriæque nomine commovere tentassent, fastidium quoddam incæpti operis invaserat. Adeo enim valet, vel apud gravissimos viros hominum opinio, ut vix suæ ipsi conscientiæ, si vulgi sententia repugnet, confidere audeant. Conjuratos igitur, cum jam civium alios facinus exsecrantes, alios autem se domi continentes, ignaviamque speciosis nominibus defendentes, viderent, ipsos quid de se

---

(1) ..... ibi fas, ubi maxima merces. (*Phars.*, X, 408.)

existimandum esset aliquanto dubitasse dixeris. Sua vero audacia exterriti, forsan et morte voluntaria, ad exemplum Catonis, susceptam liberandæ Reip. molem a se detrectassent, nisi Cicero, cui animus crevisse cum Romæ periculis videtur, amicorum virtutem erexisset, et quoddam desperantibus quasi suscitasset patriæ simulacrum. E philosophia autem haurire videbatur, unde vires aliis sufficeret: nam, inter negotiorum intervalla, ad inchoatum opus redibat; in ea meditatione, quasi cote, fortitudinem acuebat, seque ad supremum suum pro libertate accingebat certamen.

Itaque remota disputandi subtilitate, πρακτικὴν in his libris virtutem adumbrat, qua ipse instructus, se rursus ad agendum strenue in procellas immittat: philosophorumque scriptis tantummodo id exquirit, quod sanandis patriæ malis, restituendisque majorum moribus adhibere possit. Philosophatur quidem, sed ut virum πολιτικόν decuit, Reip. quoque vel in otio inservientem.

II.

Quid ex singulis, quibus tum Roma distrahebatur, philosophiæ sectis, ad instituendam suam vivendi disciplinam Cicero mutuatus sit. — Totus se ad secundam Stoam Panætii convertit.

> Epicureos in hortulis suis jubeamus dicere, atque etiam ab omni societate Reip., cujus partem nec norunt ullam, nec unquam nosse voluerunt, paulisper facessant, rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam recentem exoremus ut sileat. Nam si in ea invaserit, nimias edet ruinas. (*De Leg.*, I, 13.)

Ista quidem præfatus, jam ad propositam disceptationem venio, ita ut primum origines Tulliani operis repetam, et quasi diversos fontes, unde suam de Offi-

ciis institutionem derivasse atque temperasse ille videatur. Rem vero paulo altius indagare necesse est, et singularum prius sectarum, quæ tum Romæ de moralibus disserebant, variam sequi fortunam; non ut vero res pertractemus, sed ut eas hactenus attingamus, quatenus ad cognitionem Ciceronis pertinent.

Ex diversis igitur moralibus sectis, quæ quondam ex Socratico fonte diffluxerant, duæ tantummodo jam his temporibus Romæ vere nominabantur, Stoïca scilicet et Epicurea; altera quidem asperior, fortioribusque idonea civibus, qui communem supra ignaviam emergere conarentur; remissior vero altera, iisque potius accommodata, quibus otium ac voluptatem aliqua sapientiæ laude tueri placeret. Nam, cum nulla cupiditatum cum ratione concordia in homine intus stare posse videatur, alteram ex istis quibus homo distrahitur rebus, omnino tollendam esse utraque secta prædicabat; at Stoici quidem omnes animi affectus radicitus evelli jubebant, ut liberius homo virtutem consequeretur; dum Epicureis contra se ratione abdicare potius placebat, ut voluptatibus, re nulla reluctante, inservirent. Sua sic utrique intemperantia ultra veritatem ac naturam efferebantur. —Prudentiores autem Academici Peripateticique, cum naturam ita defraudari posse negarent, perfectam virtutem in quadam omnium rerum moderatione rectius posuere: sed nunquam satis definire poterant, quibus certis finibus rationem cupiditatesque inter se componi æquum esset; omniaque in dubio reliquerant, eximiam sane declamantibus eloquentiæ materiam.

De quibus vero singulis philosophiæ sectis nonnulla fusius disserere opus est.

I. Nulla quidem Romæ plures discipulos ad se doctrina,

præsertim post civiles procellas, allexit, quam mollior ea quæ Epicuri auctoritate vulgo defendebatur disciplina. Nam, præterquam quod cognitu perfacilis erat, socordiam honesto nomine et quadam dignitate servitutem commendabat. Quid autem iis, qui jam a rebus publicis excludebantur, opportunius videri potuit, quam illud Epicuri, τὸν σοφὸν οὐ πολιτεύεσθαι? Facilius hinc, sapientiæ specie decepti, ademptam libertatem, quasi infra jacentem, aspernabantur, seque diis, si nullam communis salutis curam gererent, similiores fieri existimabant.

Infinitum igitur esset in ipsius Ciceronis operibus quærere, quot nobiles viri principesque civitatis ad hanc adulteratam Epicuri disciplinam, quam *C.* quondam *Amafinius* Romam primus intulerat, tanquam in justæ ignaviæ recessum, confugerint. Quorum tamen in numero, unum aut alterum nominare velim (ut inde clarius publicarum virtutum defectus appareat), *Catium* scilicet *Insubrem*, quem Horatius facete in satiram inducit de arte coquinaria disserentem; *Pomponium*que *Atticum*, Nostri familiarem, summa securitate inter discordias perfruentem; *Cassium* que ipsum *Longinum* in Cæsaris cæde magis iræ quam patriæ utilitati consulentem. Quid præterea *L. Torquatum*, quid *C. Velleium* memorem? quid *C. Memmium Gemellum*, aut multo quoque clariorem ipsius amicum, *Lucretium Carum*, qui divino ingenii sui splendore magistri somnia illustravit, moralemque ejusdem doctrinam vulgo deformatam ad priorem suam integritatem studebat revocare?

Epicurus enim, cum omnia πρὸς ἡδονὴν referenda esse diceret, non tam brevem istam corporis voluptatem spectabat, quam eam quæ sola virtute efficitur totius vitæ felicitatem (τὴν τοῦ ὅλου αἴωνος μακαριότητα. Diog.

Laert., Ep. X, 148). Sed multitudo ex ea doctrina nil præter id ἡδονῆς propositum retinuit, pravis suis libidinibus, voluptatis nomine, accommodatum : vulgoque tum Romæ Epicurei dicebantur quicumque, quid amisissent, quidve in posterum metuendum esset parum studentes, in otio ac deliciis omnem vitam conterebant. Magistrum vivendi Archestratum plerique sectabantur, cujus præcepta de lautis epulis quasi Epicureorum Θεογονιαν esse dictitabat Chrysippus. — Quantum igitur istiusmodi philosophia, nedum malis aliquid remedii afferret, morum contra corruptelam adauxerit, facile conjicias. Perierat enim pudor, neque jam ulla supererat opinionis auctoritas, postquam perditus quisque flagitia impietatemque quodam sapientiæ patrocinio excusaret. Immanis ergo Romæ fuit, ut cætera omnia, morum depravatio. Quid autem præterea mirum est, quod iidem illi raptores orbis, qui ad omnia armis superanda tanto animorum impetu efferebantur, postquam justum sibi quasi alimentum defuit, eodem libidinis ardore jam se in otium ac omne deliciarum genus ingurgitaverint; si modo quisque suî conscientiam ista ebrietate excutere posset? Summa iis tum sapientia habebatur, libidinosam vitam delicata morte finire. Ex quo præsertim Cato se patriæ libertati mactaverat, quamdam pravæ imitationis contagionem Romam invasisse dixeris. Sed inter Epicureos imprimis eam fastidiosam necem in dies viliorem consuetudo fecerat : nam si quem tandem tæderet per eumdem somni, cibi, libidinis circulum currere, hebetem vitam cum sodalibus inter pocula rejiciebat : eamdem in vita quam in conviviis legem obtinebant : *Aut bibat, aut abeat.* — Quæ vero veternosa, ut ita dicam, vivendi institutio, quam quasi venenum quoddam ægrotantibus, quo facilius in morte obdormirent, paratum existimes,

minus Ciceronem nostrum antiquas virtutes jam refovere studentem, detinere debuit.

II. Nec magis in Academiæ curriculis, de more suo, Noster commoratus est, unde nil certi ad instituendam hanc morum disciplinam decerpere potuisset. Quantum enim Academici et Peripatetici ab auctorum suorum laude et instituto mox discesserint, sat omnibus compertum. Academici quidem, velut decisis humiles pennis, desertaque Socratica sanitate, servataque tantum quadam dicendi subtilitate Platonica, toti se ad dubitandum, labefactandaque cuncta scientiæ fundamenta contulerant : Peripatetici vero, orbati libris Aristotelis et Theophrasti, horumque luminibus et ingeniis singulas et universas disciplinas consectantibus, communique vinculo copulantibus, ut ita dicam, destituti, interiore hujus philosophiæ cognitione carebant, atque tanquam spinis hærebant exterioris doctrinæ. Parum igitur gratiæ hi Romæ obtinuere. Sed Academicis saltem mira restabat in dicendo ubertas, qua Romani non oratores modo, sed etiam quisque ingenio morumque elegantia præstantissimus delectabantur. Luculentis his Academiæ disceptationibus gaudere *L. Lucullus* in primis dicebatur. Placebat sane *M. Ter. Varroni*, litteratissimo viro, ea doctrinæ varietas atque abundantia; *M.* autem *Bruto* Platonicæ eloquentiæ excelsitas; at *C. Aur. Cotta*, quem Epicureum se profiteri puduisset, honestius inde nomen mutuabatur. Quid vero tot alios addam illustres viros, qui in his Academiæ silvis decoram Reip. gerendæ remissionem quærebant? Post tot bellorum civilium vices, defessos jam incertosque plerosque juvabat speciosa ea dubitandi scientia acquiescere.

Quanquam Antiochus et Philon Larissæus, novissimæ Academiæ magistri, adulteratam istam remissiorem-

que Carneadis et Arcesilai doctrinam ad Platonicam originem revocare conabantur : et quædam saltem quibus sapientis vita regeretur probabilia esse voluerant. Quos duces itaque, in cæteris quæstionibus, potissimum sectabatur Cicero ; illi nempe viro, quem adeo semper moderationis amantem novimus, ea in primis placebat philosophandi mediocritas, quæ medium quoddam contrarias inter sectarum opiniones retineret. At si quid jam de vita moribusque in disputationem forte intercideret, tum remota Academica dubitatione, idem stoicam virtutem totis viribus amplectebatur, adornabat eloquentia, et tuebatur : seque totum ad firmiorem Posidonii sui disciplinam convertebat, quæ sola tot inter ruinas, aliquid certi servasse videbatur.

III. Dura lex erat Stoicorum, acerbaque vivendi institutio ; at solidis saltem ea δόγμασιν innitebatur : eamque tanquam stabilem rupem magno animo prensabant quicumque sic in dubio fluctuare diutius ægre ferrent.

Cæterum Stoica austeritas aptissime cum Romanæ indolis gravitate congruebat. Romanis enim summa virtus habebatur in obtinenda animi constantia habitusque dignitate. Neque patricii tantum, sed ignobiles quoque isti et ex infimo ordine homines, qui se quotidie gentium dominos populumque imperio natum appellari audiebant, ad sustinendam eam personam, magnifice vultum, vocem, pannos componebant. Quam ad tuendam dignitatem a pueris instituebantur : semper Bruti Regulique exemplum sibi ante oculos proponebant ; neque satis Q. Maximi, M. ve Catonis fortitudinem sine fletu filios consulares efferentium poterant admirari. Quantum igitur ferocibus his hominibus, ac præsertim morum veterum sectatoribus, sublimis illa Stoæ disciplina debuit approbari, quæ sapientem su-

pra omnes res humanas extollebat, atque eum in deorum prope numero collocabat?

Itaque, cum primum *Panætius* Romam venerat, discipulos habuit et multos et præstantes auctoritate ingenioque homines. Quidquid enim gravissimorum senatorum jurisque consultorum erat, præter doctrinæ severitatem, dialecticæ quoque subtilitatis novitate allexit; *Q. Muc. Scævolam* scilicet, juris civilis conditorem, argutiarumque studiosum hominem; *P. Rut. Rufum*, *M. Vigellium*, *Sext. Pompeium*, *A. Virginium*, *Balbos* duo, cæterosque multos. Sed præter tot clarissimos auditores, eum cum *P. Scipione*, *Lælio*que, eorumque propinquis, *C. Fannio*, *Q. Ælio Tuberone*, etc., in summa familiaritate vixisse accepimus. Quos autem viros, cum bonarum artium studiosos, tum ingenio elegantissimos, haud sibi tamen adeo Panætius conciliasset, nisi priorem Zenonis Cleanthique doctrinam, a meraca eorum austeritate remissam, et quasi Platonis suavitate temperatam, ad humanitatem, πρακτικώτερονque Romanorum ingenium accommodasset. Quod ipse Cicero testatur, *de finibus*, IV, 28. « Stoicorum, inquit, tristitiam atque asperitatem fu- » giens Panætius, nec acerbitatem sententiarum, nec » disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere » mitior, in altero illustrior, semperque habuit in ore » Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, » Dicæarchum, ut ipsius scripta declarant. » In libris igitur, quos scripsit περὶ καθήκοντος, cum ipse suo judicio, tum Scipionis causa, ferociorem eam Stoæ disciplinam, justos intra terminos coercuit, et mediocrem popularemque quamdam bene vivendi instituit rationem.

Naturam quidem sequendam, eamque supremam vivendi legem esse, cum cæteris Stoicis, profitebatur

saque spe opitulandi, Remp. improbis dilacerandam permiserant, ad moriendum tantummodo animosi. Quid enim profuerat dictatorem occidisse, nisi ut regni instrumentum ad deteriores Lepidum Antoniumque deferretur? Mortuo Cæsari Roma quoque parebat; omniaque dictatoris facta, scripta, dicta, cogitataque post necem plus valebant, quam si ipse viveret. Præsens igitur tempus grave, futurum autem multo quoque asperius, cum jam neque leges omnino essent, neque judicia, nec simulacrum aliquod ac vestigium civitatis.

Majoribus quidem, inter tot acerbitates rerum, spes saltem fuerat, libertatem otiumque post civiles tempestates rediturum: privatas præterea calamitates, majestatem imperii contemplando, facilius tolerabant. Nunc vero, præter repetitam improspere libertatem, ipsa illa urbis æternitas cladibus tabescere, et ad occasum vergere prudentibus videbatur.

Quocumque enim oculos circumferrent, nil jam ex prioribus majorum institutis restabat integrum, quo, in tanto omnium naufragio, tanquam in portum homines confugerent. — *Religio* enim jamdudum neminis fidem obtinebat: at cultu quidem deformata, intus vero magis quoque consenuerat: neque quidquam ex antiqua sua veneratione, præter obsoletos ritus, ridiculumve superstitionum apparatum, retinebat. Quænam nempe jam poterat esse augurum auctoritas, postquam omnia divina humanaque pravis improborum libidinibus inservire coegissent? quæ Deorum reverentia, qui in ludis ludibrio impune habebantur? quis impietatis modus, cum ipse J. Cæsar pontifex maximus palam omnia sacra projecisset? Dum principes civitatis, Varroque Ciceroque ipse noster, domi inter epulas, aniles istas ineptias, augurumque somnia illudebant; plebs contra, quæ sacris minus carere possit, spretis patriæ

Diis, in alienas religiones ruere, et quidquid ex Ægypto Asiaque impurissimum afferebatur, consectari. Externis autem cum Diis istis, pravisque cultibus, vitia simul ac corruptelam omnium gentium tanquam in civitatem Roma excipiebat, facta quædam totius orbis sentina.

Senatus vero, alter ille quondam, ut Cineæ videbatur, Deorum immortalium cœtus, jamdudum vitiis omnibus adeo laborabat, ut non modo censores, sed etiam judices omnes defatigare potuisset. Quænam præterea Curiæ jam facies esse debuit, postquam victor Cæsar non libertinos modo, sed quosdam quoque e semibarbaris Gallorum post triumphum in patrum numerum recepit (1)?— Quin etiam, in hac omnium gentium colluvie, *Plebs* ipsa vetus, tanquam absorpta, ferme interierat. Quod si, patrum quidem memoria, P. Nasica jam Romam indignabatur servorum gregibus, quorum noverca esset Italia, perturbari; quam paucos ex priscis civibus, præsertim post Marianas Syllanasque clades, novissimaque civilia bella, restitisse credas, qui in se pristinæ civitatis imaginem referrent? Hanc igitur adulteratam urbem,

nulloque frequentem
Cive suo Romam, mundi sed fæce repletam,

seniores vix agnoscebant. Quin forum ipsum alio Cæsar transferre voluerat, ut, novis mutatisque omnibus, multitudo minus priorem libertatem ac Reip. statum recordaretur. Quid mirum igitur, si, ipsa deficiente, ut ita dicam, patria, insita quoque illa Romano vivacissima patriæ caritas interdum defecisse videatur? Ipsam enim civitatem, ipsum senatum, jura, leges, li-

---

(1) Gallos Cæsar in triumphum ducit, idem in curiam;
Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumserunt.

bertatem, in castra secum Pompeius Cæsarque asportaverant: jam quidquid veteranis libuisset, pro decretis Patrum, pro populi jussis erat: milites autem, ab urbe semper relegati, nullam aliam patriam, quam sua castra, nullum Deum indigetem, præter ducem suum, vereri mox assueverant (1). Cuncta igitur jam pridem vi tantummodo et armis decernebantur; omnisque honestas in communi rerum naufragio una videbatur periisse.

In eâ profecto morum depravatione paulisper commorandum fuit, ut inde manifestius illustraretur singularis illa vis ingenii, patriæque caritas, qua Noster supra communem omnium imbecillitatem, in hoc fere supremo suo opere, sese extulerit. Dum cæteri quidem nihil prorsus aliud curabant, nisi villulas, nisi nummulos suos, solus ipse animi constantiam spemque libertatis his studiis erigebat confirmabatque : atque interea amicos epistolis refovebat, moxque Romam regressus languentem ac defessum senatum eloquentia excitabat, urgebat: totam denique solus complectebatur patriam, solus leges nondum periisse, aliquamque esse Remp. testabatur.— Nam Brutum ipsum Cassiumque, postquam, interfecto Cæsare, multitudinem jactato nequidquam libertatis patriæque nomine commovere tentassent, fastidium quoddam incæpti operis invaserat. Adeo enim valet, vel apud gravissimos viros hominum opinio, ut vix suæ ipsi conscientiæ, si vulgi sententia repugnet, confidere audeant. Conjuratos igitur, cum jam civium alios facinus exsecrantes, alios autem se domi continentes, ignaviamque speciosis nominibus defendentes, viderent, ipsos quid de se

---

(1) ...... ibi fas, ubi maxima merces. (*Phars.*, X, 408.)

existimandum esset aliquanto dubitasse dixeris. Sua vero audacia exterriti, forsan et morte voluntaria, ad exemplum Catonis, susceptam liberandæ Reip. molem a se detrectassent, nisi Cicero, cui animus crevisse cum Romæ periculis videtur, amicorum virtutem erexisset, et quoddam desperantibus quasi suscitasset patriæ simulacrum. E philosophia autem haurire videbatur, unde vires aliis sufficeret: nam, inter negotiorum intervalla, ad inchoatum opus redibat; in ea meditatione, quasi cote, fortitudinem acuebat, seque ad supremum suum pro libertate accingebat certamen.

Itaque remota disputandi subtilitate, πρακτικὴν in his libris virtutem adumbrat, qua ipse instructus, se rursus ad agendum strenue in procellas immittat: philosophorumque scriptis tantummodo id exquirit, quod sanandis patriæ malis, restituendisque majorum moribus adhibere possit. Philosophatur quidem, sed ut virum πολιτικόν decuit, Reip. quoque vel in otio inservientem.

II.

Quid ex singulis, quibus tum Roma distrahebatur, philosophiæ sectis, ad instituendam suam vivendi disciplinam Cicero mutuatus sit. — Totus se ad secundam Stoam Panætii convertit.

> **Epicureos in hortulis suis jubeamus dicere, atque etiam ab omni societate Reip., cujus partem nec norunt ullam, nec unquam nosse voluerunt, paulisper facessant, rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam recentem exoremus ut sileat. Nam si in ea invaserit, nimias edet ruinas. (*De Leg.*, I, 13.)**

Ista quidem præfatus, jam ad propositam disceptationem venio, ita ut primum origines Tulliani operis repetam, et quasi diversos fontes, unde suam de Offi-

ciis institutionem derivasse atque temperasse ille videatur. Rem vero paulo altius indagare necesse est, et singularum prius sectarum, quæ tum Romæ de moralibus disserebant, variam sequi fortunam; non ut vero res pertractemus, sed ut eas hactenus attingamus, quatenus ad cognitionem Ciceronis pertinent.

Ex diversis igitur moralibus sectis, quæ quondam ex Socratico fonte diffluxerant, duæ tantummodo jam his temporibus Romæ vere nominabantur, Stoïca scilicet et Epicurea; altera quidem asperior, fortioribusque idonea civibus, qui communem supra ignaviam emergere conarentur; remissior vero altera, iisque potius accommodata, quibus otium ac voluptatem aliqua sapientiæ laude tueri placeret. Nam, cum nulla cupiditatum cum ratione concordia in homine intus stare posse videatur, alteram ex istis quibus homo distrahitur rebus, omnino tollendam esse utraque secta prædicabat; at Stoici quidem omnes animi affectus radicitus evelli jubebant, ut liberius homo virtutem consequeretur; dum Epicureis contra se ratione abdicare potius placebat, ut voluptatibus, re nulla reluctante, inservirent. Sua sic utrique intemperantia ultra veritatem ac naturam efferebantur. —Prudentiores autem Academici Peripateticique, cum naturam ita defraudari posse negarent, perfectam virtutem in quadam omnium rerum moderatione rectius posuere: sed nunquam satis definire poterant, quibus certis finibus rationem cupiditatesque inter se componi æquum esset; omniaque in dubio reliquerant, eximiam sane declamantibus eloquentiæ materiam.

De quibus vero singulis philosophiæ sectis nonnulla fusius disserere opus est.

I. Nulla quidem Romæ plures discipulos ad se doctrina,

præsertim post civiles procellas, allexit, quam mollior ea quæ Epicuri auctoritate vulgo defendebatur disciplina. Nam, præterquam quod cognitu perfacilis erat, socordiam honesto nomine et quadam dignitate servitutem commendabat. Quid autem iis, qui jam a rebus publicis excludebantur, opportunius videri potuit, quam illud Epicuri, τὸν σοφόν οὐ πολιτεύεσθαι? Facilius hinc, sapientiæ specie decepti, ademptam libertatem, quasi infra jacentem, aspernabantur, seque diis, si nullam communis salutis curam gererent, similiores fieri existimabant.

Infinitum igitur esset in ipsius Ciceronis operibus quærere, quot nobiles viri principesque civitatis ad hanc adulteratam Epicuri disciplinam, quam *C.* quondam *Amafinius* Romam primus intulerat, tanquam in justæ ignaviæ recessum, confugerint. Quorum tamen in numero, unum aut alterum nominare velim (ut inde clarius publicarum virtutum defectus appareat), *Catium* scilicet *Insubrem*, quem Horatius facete in satiram inducit de arte coquinaria disserentem; *Pomponium*que *Atticum*, Nostri familiarem, summa securitate inter discordias perfruentem; *Cassium* que ipsum *Longinum* in Cæsaris cæde magis iræ quam patriæ utilitati consulentem. Quid præterea *L. Torquatum*, quid *C. Velleium* memorem? quid *C. Memmium Gemellum*, aut multo quoque clariorem ipsius amicum, *Lucretium Carum*, qui divino ingenii sui splendore magistri somnia illustravit, moralemque ejusdem doctrinam vulgo deformatam ad priorem suam integritatem studebat revocare?

Epicurus enim, cum omnia πρὸς ἡδονὴν referenda esse diceret, non tam brevem istam corporis voluptatem spectabat, quam eam quæ sola virtute efficitur totius vitæ felicitatem (τὴν τοῦ ὅλου αἰῶνος μακαριότητα. Diog.

Laert., Ep. X, 148). Sed multitudo ex ea doctrina nil præter id ἡδονῆς propositum retinuit, pravis suis libidinibus, voluptatis nomine, accommodatum : vulgoque tum Romæ Epicurei dicebantur quicumque, quid amisissent, quidve in posterum metuendum esset parum studentes, in otio ac deliciis omnem vitam conterebant. Magistrum vivendi Archestratum plerique sectabantur, cujus præcepta de lautis epulis quasi Epicureorum Θεογονιαν esse dictitabat Chrysippus. — Quantum igitur istiusmodi philosophia, nedum malis aliquid remedii afferret, morum contra corruptelam adauxerit, facile conjicias. Perierat enim pudor, neque jam ulla supererat opinionis auctoritas, postquam perditus quisque flagitia impietatemque quodam sapientiæ patrocinio excusaret. Immanis ergo Romæ fuit, ut cætera omnia, morum depravatio. Quid autem præterea mirum est, quod iidem illi raptores orbis, qui ad omnia armis superanda tanto animorum impetu efferebantur, postquam justum sibi quasi alimentum defuit, eodem libidinis ardore jam se in otium ac omne deliciarum genus ingurgitaverint ; si modo quisque suî conscientiam ista ebrietate excutere posset? Summa iis tum sapientia habebatur, libidinosam vitam delicata morte finire. Ex quo præsertim Cato se patriæ libertati mactaverat, quamdam pravæ imitationis contagionem Romam invasisse dixeris. Sed inter Epicureos imprimis eam fastidiosam necem in dies viliorem consuetudo fecerat : nam si quem tandem tæderet per eumdem somni, cibi, libidinis circulum currere, hebetem vitam cum sodalibus inter pocula rejiciebat : eamdem in vita quam in conviviis legem obtinebant : *Aut bibat, aut abeat.* — Quæ vero veternosa, ut ita dicam, vivendi institutio, quam quasi venenum quoddam ægrotantibus, quo facilius in morte obdormirent, paratum existimes,

minus Ciceronem nostrum antiquas virtutes jam refovere studentem, detinere debuit.

II. Nec magis in Academiæ curriculis, de more suo, Noster commoratus est, unde nil certi ad instituendam hanc morum disciplinam decerpere potuisset. Quantum enim Academici et Peripatetici ab auctorum suorum laude et instituto mox discesserint, sat omnibus compertum. Academici quidem, velut decisis humiles pennis, desertaque Socratica sanitate, servataque tantum quadam dicendi subtilitate Platonica, toti se ad dubitandum, labefactandaque cuncta scientiæ fundamenta contulerant : Peripatetici vero, orbati libris Aristotelis et Theophrasti, horumque luminibus et ingeniis singulas et universas disciplinas consectantibus, communique vinculo copulantibus, ut ita dicam, destituti, interiore hujus philosophiæ cognitione carebant, atque tanquam spinis hærebant exterioris doctrinæ. Parum igitur gratiæ hi Romæ obtinuere. Sed Academicis saltem mira restabat in dicendo ubertas, qua Romani non oratores modo, sed etiam quisque ingenio morumque elegantia præstantissimus delectabantur. Luculentis his Academiæ disceptationibus gaudere *L. Lucullus* in primis dicebatur. Placebat sane *M. Ter. Varroni*, litteratissimo viro, ea doctrinæ varietas atque abundantia; *M.* autem *Bruto* Platonicæ eloquentiæ excelsitas; at *C. Aur. Cotta*, quem Epicureum se profiteri puduisset, honestius inde nomen mutuabatur. Quid vero tot alios addam illustres viros, qui in his Academiæ silvis decoram Reip. gerendæ remissionem quærebant? Post tot bellorum civilium vices, defessos jam incertosque plerosque juvabat speciosa ea dubitandi scientia acquiescere.

Quanquam Antiochus et Philon Larissæus, novissimæ Academiæ magistri, adulteratam istam remissiorem-

que Carneadis et Arcesilai doctrinam ad Platonicam originem revocare conabantur : et quædam saltem quibus sapientis vita regeretur probabilia esse voluerant. Quos duces itaque, in cæteris quæstionibus, potissimum sectabatur Cicero ; illi nempe viro, quem adeo semper moderationis amantem novimus, ea in primis placebat philosophandi mediocritas, quæ medium quoddam contrarias inter sectarum opiniones retineret. At si quid jam de vita moribusque in disputationem forte intercideret, tum remota Academica dubitatione, idem stoicam virtutem totis viribus amplectebatur, adornabat eloquentia, et tuebatur : seque totum ad firmiorem Posidonii sui disciplinam convertebat, quæ sola tot inter ruinas, aliquid certi servasse videbatur.

III. Dura lex erat Stoïcorum, acerbaque vivendi institutio ; at solidis saltem ea δόγμασιν innitebatur : eamque tanquam stabilem rupem magno animo prensabant quicumque sic in dubio fluctuare diutius ægre ferrent.

Cæterum Stoica austeritas aptissime cum Romanæ indolis gravitate congruebat. Romanis enim summa virtus habebatur in obtinenda animi constantia habitusque dignitate. Neque patricii tantum, sed ignobiles quoque isti et ex infimo ordine homines, qui se quotidie gentium dominos populumque imperio natum appellari audiebant, ad sustinendam eam personam, magnifice vultum, vocem, pannos componebant. Quam ad tuendam dignitatem a pueris instituebantur : semper Bruti Regulique exemplum sibi ante oculos proponebant ; neque satis Q. Maximi, M. ve Catonis fortitudinem sine fletu filios consulares efferentium poterant admirari. Quantum igitur ferocibus his hominibus, ac præsertim morum veterum sectatoribus, sublimis illa Stoæ disciplina debuit approbari, quæ sapientem su-

pra omnes res humanas extollebat, atque eum in deorum prope numero collocabat?

Itaque, cum primum *Panætius* Romam venerat, discipulos habuit et multos et præstantes auctoritate ingenioque homines. Quidquid enim gravissimorum senatorum jurisque consultorum erat, præter doctrinæ severitatem, dialecticæ quoque subtilitatis novitate allexit; *Q. Muc. Scævolam* scilicet, juris civilis conditorem, argutiarumque studiosum hominem; *P. Rut. Rufum*, *M. Vigellium*, *Sext. Pompeium*, *A. Virginium*, *Balbos* duo, cæterosque multos. Sed præter tot clarissimos auditores, eum cum *P. Scipione*, *Lælio*que, eorumque propinquis, *C. Fannio*, *Q. Ælio Tuberone*, etc., in summa familiaritate vixisse accepimus. Quos autem viros, cum bonarum artium studiosos, tum ingenio elegantissimos, haud sibi tamen adeo Panætius conciliasset, nisi priorem Zenonis Cleanthique doctrinam, a meraca eorum austeritate remissam, et quasi Platonis suavitate temperatam, ad humanitatem, πρακτικώτερονque Romanorum ingenium accommodasset. Quod ipse Cicero testatur, *de finibus*, IV, 28. « Stoicorum, inquit, tristitiam atque asperitatem fugiens Panætius, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior, semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicæarchum, ut ipsius scripta declarant. » In libris igitur, quos scripsit περὶ καθήκοντος, cum ipse suo judicio, tum Scipionis causa, ferociorem eam Stoæ disciplinam, justos intra terminos coercuit, et mediocrem popularemque quamdam bene vivendi instituit rationem.

Naturam quidem sequendam, eamque supremam vivendi legem esse, cum cæteris Stoicis, profitebatur

Panætius (1); hominem vero *duplicem* esse, neque in *Ratione* tantum ejus naturam constare, sed etiam in iis quoque animi *Affectibus*, quos frustra radicitus quisquam evellere velit. Duas igitur virtutes esse statuit, *Contemplativam* (θεωρητικὴν) alteram, rigidamque, quæ ad unius Rationis normam informabatur, et *supernaturalis* quoque (ὑπὲρ φύσιν ζῆν) dicebatur, tanquam excessisset humanum, et proxima Diis esset: alteram vero *Activam* (πρακτικὴν), quæ nihil quod hominis esset excludebat et magis ad popularem usum accommodabatur (2). —Ex duplici ea virtutis natura duplex quoque Officiorum genus deduxit, unum quidem δογματικὸν, quod pertinebat ad finem bonorum, id est ad constitutionem summi boni, et totum in disputationibus versabatur: alterum vero παραινετικὸν, quo μερίκως describebat, quæ sapientis in omni conditione singula munia essent.

Non quod tamen eam geminam virtutis vim in priorum stoicorum scriptis inveniri posse negem. Quippe qui, cum sublimiorem sapientiam in disputationibus exornassent, eam omnino sterilem fore senserunt, nisi humilior quædam alia subesset, ad communem captum revocata. Sed distractum utrumque officiorum genus, certioribus terminis primus circumscripsit Panætius; atque, omisso altero, quod ad summum bonum pertinet, fusius de altero illo genere, quod medium dicitur, disseruit. Infra igitur illud honestum, ex omnibus numeris absolutum, quod proprie *Rectum* dicitur (κατόρθωμα), mediocrem, in hospitum suorum usum, virtutis institutionem ex omni parte composuit; jam ea communia et late patentia officia singillatim in

(1) Παναίτιος τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν ἐκ φύσεως ἀφορμὰς τέλος ἀπεφήνατο. Clem. Alex. Strom. II, p. 416. — (2) Diog. Laert. VII, p. 92.

libris suis explicans, quæ plerique ingenii bonitate assequi possint.

Cum ergo Stoæ principibus viris placuisset nil medium inter id quod honestum aut quod turpe esset interesse, cæteraque omnia, quæ extra virtutem vulgo bona æstimantur, omnino ut indifferentia, despicienda præcepissent; Panætius contra multa in vita occurrere docebat, quæ, quamvis per se nihil boni, nihil mali haberent, naturæ tamen convenire, et ad efficiendum beatum hominem magni esse momenti viderentur. Nullam sane veram sine virtute felicitatem esse posse fatebatur, sed eam tamen ad bene beateque vivendum se ipsa esse contentam (quod unum erat gravissimum Stoæ decretum) negavit, nisi dolor quoque et paupertas abesset, honestæque insuper adhiberentur voluptates. Sapientem igitur interdum et voluptati indulgere jubebat, et affectuum animi ipsiusque corporis habere rationem (1). Quare improbabat idem probatam aliis Stoicis ἀπαθείαν et ἀναλγησίαν, id est, vacuitatem affectuum et indolentiam (2); non jam Deum enim, sed hominem instituere sibi proposuerat.

Eam virtutis temperantiam discipuli Panætii obtinuere, Mnesarchus, Apollonius, Demetrius : Hecaton Rhodius, alter Stoicæ illius mediocritatis sectator, in libris, quos ipse de Officiis scripsit, præcipiebat *sapientis esse, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris* (3). Posidonius denique, unus omnium Panætii discipulorum celeberrimus, divitias, valetudinem et similia, quæ cæteri Stoici in numero τῶν ἀδιαφόρων reponerent, ipse, ut magister, inter bona referenda esse contendebat (4).

---

(1) Diog. Laert., VII, 128. — (2) A. Gellius, XII, 5. — (3) De Off., III, 15. — (4) Diog. Laert., VII, 103.

Sic vetus illa asperaque Stoæ doctrina, quæ primum a rebus hominumque consuetudine nimium remota, in magnifica quidem, sed vana profecto somnia evanescere videbatur, ubi jam inter homines strenuos Romæ cœpit versari, propius ad vulgarem humanamque vivendi intelligentiam descendere coacta est.

Non diu vero illam in philosophando moderationem Romani observaverunt. Nam publici privatique mores mox adeo ab honesto deciderant, ut nulla jam virtutis cum communi vitæ usu conjunctio esse posse videretur, neque mediocre quidquam in tam immani morum corruptela teneri. In novissimis igitur quibus Resp. periit procellis, optimum quemque civem, *Rutilium Rufum*, *M. Brutum*, *Catonem* denique, *Favonium*que, etc. ad Zenonem Chrysippumque redire videas, et quidquid in his asperrimum erat, desperanter, tanquam naufragos, prensare. Tum sapientem illum Stoæ, omnibus numeris absolutum, haud jam verbis tantum, ut Panætius, sed totius vitæ etiam habitu, agere studebant : eos enim, in tanta omnium rerum deformitate, ad serenam illam sapientiæ quam excogitaverant excelsitatem et tanquam ἀπαθείας arcem confugere juvabat, unde terrena despicerent. Sublimi hoc rerum humanarum contemptu animum Brutus erigebat, cum jam ad extrema pro libertate audenda paratus, scriberet : « Si » secuta fuerit quæ debet fortuna, gaudebimus omnes : » sin minus, ego tamen gaudebo..... Quid enim est » melius, quam memoria recte factorum et libertate » contentum negligere homines ? » — Sed quid ea virtutis ferocia illi profuit, nisi quo doctius superbiusque de virtute moribundus desperaret?

Alteram enim hanc virtutem, magis ad disputationem quam ad vitam expressam, nimis supra vires humanas Stoici extulerant. Suum quippe sapientem

adeo expolire, ut ita dicam, atque ab omni humana imbecillitate vindicare studebant, ut nil jam præter vanam hominis effigiem, et aheneum tanquam simulacrum relinqueretur : mirum sane quoddam superbiæ opus, præclarumque deliræ mentis somnium, quale optare quidem pauci, nemo autem re unquam posset assequi! — Quod vero ipse quidem Zeno adeo a communi hominum natura abhorrere senserat, ut ipse duplex hominum genus esse debere profiteretur, neque quemquam ad hanc sublimitatem pervenire posse affirmaret, nisi divina quadam prædestinatione peculiares ad id assequendum facultates accepisset (1). Sed eo demum, ut diximus, Romæ res venerant, ut ea vivendi institutio, quo quidem præruptior esse videretur, eo magis et imprimis veterum morum sectatoribus, placere deberet. — Adde præterea tot ambitiosos istos homines, qui, postquam, cunctis jam sub unius imperio exæquatis, nulla alia, ut se vulgo excerperent, via patere videbatur, superbam istam aversamque a communi consuetudine rationem, ad ostentationem usurpavere. Expugnatis enim cæteris animi affectibus, unum saltem quod vivacissimum est, quo totam disciplinam suam referrent, vanæ jactationis studium retinuerant Stoici. Multi igitur singularem suam virtutem, quasi theatralem personam præ se ferebant, ut vulgi admirationem moverent. Aspero cultu, intonso capite, et barba negligentiore conspicui per urbem ibant magnifico sermone adversam fortunam provocantes, doloremque, cæteraque mala omnino esse negantes. Cum remedium nempe tot malis quibus mundus laboraret nullum afferre possent, ea omnino de

---

(1) Ἀρέσκει τῷ Ζηνώνι, καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ φιλοσόφοις, δύο γένη τῶν ἀνθρώπων εἶναι, τὸ μὲν σπουδαίων, τὸ δὲ τῶν φαύλων (Stobæus, Eclog. Eth. II, p. 198).

rerum natura tollere maluerunt : id quidem facilius erat, sed perdebant operam; quasi si quis medicus disputare velit, quamobrem is qui dolet, non ob rem doleat. — Itaque stoica illa doctrina, in qua tamen spes bonorum inerat ultima, jamdudum a populari usu magis recesserat, quam ut magni momenti ad rerum salutem esset. Virtutem hanc Catonis Favoniique plusquam humanam prudentiores homines admirari quam sequi malebant : de qua quidem, ut Græculi, in otio disputabant; ex his vero declamationibus nil in agendum referebant. Ingensque illa Stoæ disciplina, si paucos viros excipias, quorum virtus vita morteque inclaruit, in vanis tantum disputandi subtilitatibus consenescere videbatur, donec tandem Cicero se ad Panætii Posidoniique libros retulit, felicemque eam novæ Stoæ mediocritatem instauravit, et in suis ipse commendavit Officiis.

III.

De universa Tulliani operis institutione. — Omnem vivendi rationem ex ipsa hominis natura penitus perspecta exprimit.

> Scis quem nunc bonum virum dicam? Hujus secundæ notæ Nam ille alter fortasse, tanquam Phœnix, semel anno quingentesimo nascitur.
>
> *Senec.*, Epist. 42.

Multum ipse tamen Cicero de δογματικῇ illa summi boni constitutione jam in *Tusculanis* suis *Quæstionibus* librisque de *Finibus* disputaverat : neque quidquam in Chrysippi Zenonisque commentariis adeo παράδοξον invenerat, quod non ipse in declamatoriis his exercitationibus defenderet; scilicet « nihil esse bonum, nisi quod » honestum sit, nihil malum, nisi quod vitiosum; li-

» beros omnino a Deo creatos ac genitos esse animos » nostros : quare nefas esse eos a nobis rebus externis, » ut opibus, honoribus, corpori, in servitutem addici : » curanda nobis esse quæ a nobis sunt, quæ extra nos » negligenda : in nobis esse opinionem, impetum, » appetitionem, declinationem, uno verbo, quæcum- » que opera nostra sunt : extra nos, opes, honores, im- » peria, corpus ipsum : quæ in nobis sint, ea natura » libera esse, neque ulla vi prohiberi posse, neque » impediri : quæ extra nos imbecilla, servilia, aliena. » — Quam quidem inexpugnabilem sapientis sublimitatem, quanto cum amore Noster dicendo adornaret, extolleretque, novimus; haud quidquam enim, in disputando, ex asperiore ea virtute remitti patiebatur. Atque eum sane equidem velim, cum declamaret, interdum rei captum suavitate et proprio dicendi æstu calescentem, ex animo sæpe dixisse. Sed postquam causam Stoæ perorasset, atque sublimi illo patrocinio defunctus, ad res tractandas descenderet, prorsus jam minores animos sumere, aliusque homo fieri videbatur.

Neque eum suppudebat, nec mirabantur homines, si facta aliquando a verbis discreparent; *senilis enim id erat*, ut ait, *declamatio*, ipseque palam profitebatur, aliam esse illam, quum veritas limatur in disputatione, subtilitatem, aliam in agendo remissioremque esse debere prudentiam : postquam enim Stoicus ratiocinando ægritudinem non in natura sed in opinione esse pervicisset, inde vero, si qua vera calamitas incideret, parum solatii adhiberi posse fatebatur : aliquid autem tum humanæ imbecillitati rectius remitti a Peripateticis. — Sed et multis etiam locis idem eos virtutis magistros ludit, qui, paulo longius quam natura vellet, fines officiorum protulissent. Nec ipsi parcebat Catoni,

aut si quis alius atrociora Stoæ præcepta, ita vivendi causa, arripuisset. Quam enim lepide rigidiorem virum illum in oratione pro Murena cavillatur, cum sapientem inducit Stoicum, quem irasci, aut exorari, aut placari, aut de sententia, etsi ita rectius sit, decedere haud deceat? — Nam ipse temporum hominumque habebat rationem, et, imminente procella, *vela contrahebat.* Virtutem in declamando quidem asperari et ad extrema diduci tolerabat : sed in agendo ad quamdam mediocritatem reducendam eamdem arbitrabatur.

In his autem Officiorum libris, quos senior ad filium Cicero composuit, totus jam ad *actionem* spectat. Atque, etiamsi laudem scriptoris hic quoque affectasse in procemio videatur, omissa tamen perfecta illa quæ pulcherrimam eloquentiæ materiam præbeat sapientia, modestam et quasi secundæ notæ virtutem, filiique ætati atque ingenio accommodatam, adumbrat. Non enim tam philosophum quam civem, patriciumque vult informare. Nec segniorem Scævolæ Tuberonisque aut Rut. Rufi fortitudinem jam approbat, qui publicas inter procellas, haud secus ac si iterum Roma a Gallis expugnaretur, sublimi in ἀπαθείᾳ mortem expectabant, se satis pro patria fecisse sane arbitrantes, si cum dignitate ipsi procumberent. Adolescentem enim prius, quemadmodum strenue vivendum esset, quam quo modo bene esset moriendum, doceri oportuit. — Totum se ergo ad media ea Porticus præcepta convertit, quibus in omnes partes usus vitæ possit conformari, quæque magis ad communem institutionem spectent. Quid in publicis rebus, quid in privatis, vir bonus ac patriæ amans agere debeat, quod sit in Remp., quod in cives, quod in omnes etiam homines officium, quibus denique honestis artibus domesticas res augere ac tueri

possit, describere certis partibus, Panætio Posidonioque ducibus, aggreditur. Denique, ut uno verbo illius operis summam complectar, adolescentem, ad quem tanta patriæ gloriæ hæreditas, totque egregie factorum imitatio pertinebat, ad obeunda omnia *civilia* munera edocet.

Quare in ea officiorum descriptione nonnulla interdum desideres : ea enim, quæ non satis ad publicam utilitatem aut magistratus splendorem pertineant, leviter aut minime attingit. Nil de officiis quæ Diis ab hominibus debeantur disserit, nil de peculiaribus mulierum muniis, familiæque institutione ac vinculis : nec modo servos omnino, ut par erat, negligit, sed ne plebeianorum quidem, qui jam rebus dudum excludebantur, mentionem facit. Infra enim senatum nullus jam populus romanus restabat, præter ignavam pauperum libertinorumque multitudinem, philosophis omnino despectam. — Sed quanta tamen cum ingenii prudentia totam illam, qualiscumque sit, publicæ virtutis institutionem cum Stoicæ doctrinæ principiis conjunxerit, solidisque his fundamentis, dum circum omnia corruerent, instauraverit, haud satis equidem admirari possum.

Ea enim præcipua Stoicorum laus fuerat, quod, cum plerisque omnia divina humanaque jura ex opinione consensuque hominum nata esse viderentur, ipsi, ut quondam Socrates, virtutem et officia ad divinam suam originem revocarunt : omnemque vivendi disciplinam ex cœlesti ea hominum cum Diis immortalibus societate, atque humanæ ipsius naturæ legibus hauserunt. Cuncta nempe docebant, maxima minima, quæ universus mundus in se complexus teneat, corpora scilicet animosque, ipsosque Deos ac homines, æternis inter se legibus juncta atque connexa unius mundi, imo unius

Dei partes et quasi membra esse : singulaque pro sua parte ordine moveri, et ad universi harmoniam una canere debere ; cætera autem cæco impetu, quocumque sua quæque natura ferat, cursum sequi : hominem vero unum rationis participem factum fuisse, ut ipse oculis contemplaretur rerum omnium veritatem atque ordinem, et se, quantum fieri possit, ad id sponte sua compararet (1). Inde concludebant *sapientem* totum in exquirendo esse debere, quibus naturæ suæ legibus ad propositum finem, cum summa omnium rerum salute, homo perduci posset ; supremamque eam esse *virtutem*, si quis eamdem eam naturam penitus cognitam ducem sequeretur.

Qua quidem doctrina nil majus hactenus ac verius inveniri potest. Sed iidem illi magistri, qui universam vivendi legem adeo subtili judicio definierant, in singulorum jam elementorum disquisitione, ex quibus hominis constet natura, a vero sæpe aberraverunt. Quum enim hominem in contrarias partes distractum viderent, intusque secum adeo discordem, ut rationi simul animique affectibus parere nequiret ; jam quæ vera esset, in tanto dissidio, ea, qua homo regeretur, lex naturæ, haud satis dignoscere potuerunt. Quare, quanquam multæ diversæque sunt in homine facultates, quas sua pro portione singulas coli, atque inter se in unum, ratione quasi magistra, componi æquum sit, animum contra aliquid esse simplex voluere : neque modo hominem cæteris animalibus ratione ac judicio præstare, sed in hoc uno quoque contineri : cætera autem omnia, animi scilicet affectus aut corporis mo-

(1) Ὁ Ποσιδώνιος τὸ τέλος εἶναι εἶπε τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν, καὶ συγκατασκευάζοντα αὐτὸν κατὰ τὸ δυνατὸν, κατὰ μηδὲν ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψύχης. — Clem. Alex., Strom., II, p. 416.

menta, extra hominis naturam esse. Animum igitur solum, quasi corporis essemus expertes, imo unam in eodem isto animo rationem spectabant, unde totam vitæ disciplinam componerent. — Hinc speciosa ea, quam novimus, sed parum solida, doctrina exorta est: quippe quæ non satis in rerum veritate inniteretur. — At profecto hominem plerumque juvat innumeras confusasque res in unum coegisse; nisi vera autem simplicitas prius in rebus ipsis fuerit, quid prodest ficta ista altera simplicitas, quæ in exteriori tantum artificiosaque rerum digestione appareat? Quam enim totam se complecti atque examussim recidisse sperabant Stoici, undique multiplex indocilisque erumpebat hominis natura.

Panætium vero diximus melius perspexisse, qualis vere esset duplex ea hominis natura; quam a prioribus Stoicis deformatam, in integrum restituit. Quem ducem ipse secutus Cicero, multa, præter eam rationem, omnium moderatricem, alia quoque, quum in animo, tum etiam in corpore, secundum naturam inesse profitetur, quibus recte ordineque sapientem indulgere deceat.

A capite igitur omnem vivendi rationem, more Socratico, instituens, omnium officiorum fontes ex ipsa hominis natura penitus perspecta aperit. Primum enim exquirit, quibus in vitæ conditionibus obversetur homo, quibusque diversis instinctibus intus moveatur, quove sua eum potissimum ferat natura, ut inde vivendi regulas excutiat, et vere humanam morum institutionem expromat. — Hominem porro in principio statuit, præter eam naturam, quam cum omni animantium genere communem habet, ut vitam defendat, nocituraque declinet, quæque ad vivendum sint necessaria anquirat, et liberos procreet tueaturque; eum præ-

terea, quod unus rationis est particeps, ea insuper, quæ cum Deo summoque bono conjuncta sunt, perspicere, neque id tantum quod adest, sed totius vitæ cursum animo complecti, ita ut ad eam totam degendam necessarias opes comparare possit: cumque bellua cæco solum sensus impetu moveatur, hominem vero homini eadem vi rationis conciliari, non modo ad stabilem conjugii domusque sed etiam civitatis societatem: eum denique ideo a natura informatum esse, ut quid verum sit, quid ordo, quid deceat, quid non, sentiat amplectaturque, justitiamque tueatur, neminique parere, nisi legitime imperanti, velit (I, 4).

Quibus ex diversis animi momentis, quibus humana natura continetur, singula vitæ officia Noster derivat. Sic intimo hominis in pectore, ut ita dicam, scrutatur, quid ipse Deus cuique præceperit, quamque propria manu legem æternam intus descripserit.

IV.

Virtutis in generales suas partes descriptio. — Prudentia. — Justitia. — Fortitudo. — Temperantia.

> *Vivendi* recte sapere est et principium et fons,
> Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.
> *Hor.*, Ars p., 309.

Postquam sic naturam, ratione magistra, ducem sequendam esse posuit Cicero, idque esse supremam vivendi legem omnisque honesti fontem; jam in suas partes illud honestum, unde tota vita dirigatur, continuo describere aggreditur: Atque in ordine recenset, quæ singulis ex his virtutis partibus certa nascantur officiorum genera.

Qua in partitione, veterem Socraticorum divisionem,

cum Panætio Posidonioque, retinuit. — Quatuor igitur præcipuas et cardinales, ut hoc utar, virtutes ponit, quæ cæteras omnes subjectas complectantur : 1° *Prudentiam* (quam innatam veri cupiditatem appellare malim), qua ad exquirendum quid in quaque re potissimum amplecti debeat, unusquisque impellitur : — 2° *Justitiam*, in qua virtutis splendor est maximus; quippe quæ unumquemque hominem intus ad id quod bonum est agendum stimulet, vetandoque a fraude deterreat. — 3° *Fortitudinem*, id est, eam invicti animi elationem, quæ nullis periculis calamitatibusque ab honesto deturbari possit : — 4° *Temperantiam*, demum quæ sedat animi perturbationes, voluptatibus imperat, alias coercet atque abigit, alias dispensat, et omnia quasi decoro cultu (κατὰ τὸ πρέπον) ad suum modum redigit, et numeris omnibus absolvit. Quibus vero in singulis partibus paululum explicandis commoremur, necesse est.

I. Prudentia. — Ea omnia perspiciendi cupido, rerumque expetendarum fugiendarumque scientia, homini profecto, quasi lampas quædam, a Deo data est, qua vitæ viam illustraret. Sed quum priores philosophi, nimio noscendi studio impulsi, omnem curam in res obscuras difficilesque, easdemque non satis ad vitam necessarias, contulissent, rursus Stoæ principes viri, Socratis exemplo, sapientiam e cœlo alienisque his artibus devocarunt, ac de vita et moribus quærere eam coegerunt. At ne ipsi quidem modum in hoc retinuere; Zenoque Cittieus, in Reipublicæ suæ procemio, cæteras disciplinas liberales, quæ curiositatem inutilem moveant, neque viam ad virtutem sternant, e civitate sua videtur omnino repudiasse (1).

(1) Diog. Laert., VII, 32.

Quos inter medium servat Cicero; bonumque virum ingenuis artibus litterisque ita indulgere jubet, ut nunquam tamen studio a rebus gerendis, augendisque hominum utilitatibus avocetur: nec Platonis sapientem probat, procul a popularibus turbis, otiose quiescentem. « Quis est 'am cupidus, inquit, in perspicienda » cognoscendaque rerum natura, ut si ei tractanti, » contemplantique res cognitione dignissimas, subito » sit allatum periculum, discrimenque patriæ, cui » subvenire possit, non illa omnia delinquat atque ab- » jiciat, etiamsi dinumerare se stellas aut metiri mundi » magnitudinem arbitretur (Off. I, 43). » In hoc præsertim Cicero ideo videtur institisse, quia Peripateticis, apud quos filius tum Athenis instituebatur, maxime placebat ea vitæ degendæ ratio quieta, in rerum contemplatione posita. Marcum autem suum ad forensem, neque ad istam umbratilem vitam destinabat; neque ipse prius in studiis acquievit, quam omnibus muniis defunctus esset; sed et has artes tum potissimum colebat, unde aliquid ad usum et vitæ agendæ et gerendæ Reip. posset adhibere. Virtutis nempe laudem omnem ponebat in *actione;* sapientiamque eam mancam quodammodo et inchoatam rejiciebat, quam nullus rerum usus consequeretur (I, 6). — Postea quidem, cum jam amissa libertate cives a foro publicisque rebus excludebantur, tunc si quis vir bonus intra conscientiæ suæ recessum confugeret, atque in otiosa librorum acquiesceret conversatione, ipsa temporum acerbitas hanc segnitiem tolerabat, aut potius imperabat: Nunc vero strenuam bellatoriamque, quæ se ultro civitatis periculis objiceret, virtutem, suprema illa romanæ libertatis certamina tunc maxime poscebant. Nec ipse unquam patriæ Cicero defuit: abjectis procul philosophorum libris, si quando periclitanti Reip. succurrere opporteret.

II. Justitia. Quandoquidem Deus hominem ita informavit, ut suam sequi naturam, præstantioresque animi facultates ad usum aliquem nequeat adhibere, nisi quadam vivendi societate cum aliis hominibus conjunctus fuerit : princeps igitur omnium virtutum *Justitia* est, qua omnis hominum inter ipsos societas, et quasi vitæ communitas continetur.

Gradus autem plures sunt societatis hominum. Arctior quidem priorque colligatio societatis in ipso *conjugio* est : proxima in *liberis*, qui, cum adolescentes una domo jam capi non possunt, in alias domos, semper tamen communi inter se vinculo conjunctas, exeunt. Sequuntur *affinitates*, ex quibus plures propinqui. Quæ propagatio et soboles principium est *urbis* et origo *Reipublicæ*, quæ homines ejusdem gentis, nationis, linguæ societate complectitur. Omnia denique adeo inter se conjunguntur, ut ab exiguo isto unius domus consortio, majoribus quasi orbibus circumducta, tandem ad immensam totius humani generis societatem extendatur quædam utilitatis communitas.

Diversis ex his societatis rationibus omnia oriuntur privata publicaque Justitiæ officia; quæ, quamvis infinita, in eam sententiam cogit Cicero, *ut cuique suum tribuatur, communique inserviatur utilitati*; homines enim hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent (I, 7).

Quum vero operis nostri angustiis prohibemur, ne in varia ea officiorum descriptione, propius nostrum sequamur auctorem; pauca tantum referemus, unde manifestum appareat, quo usque moralem doctrinam ille protulerit. Quot enim nobis ea, quæ de Justitiæ partibus disputat, legentibus, eximiæ sententiæ occurrunt, quæ jam nescio quid Christiani redolere videan-

tur? interdum profecto præcepta quædam ex Sanctorum Patrum scriptis excerpta esse dixeris: adeo nova illa vitæ institutio a communi morum Romanorum asperitate abhorret! Dum enim apud eos, viro flagitiosissimum haberetur impune injuriam accepisse, Cicero contra filium docet, quædam officia vel adversus hos, a quibus injuria lacessitus fuerit, esse servanda; ulciscendi quippe et puniendi modum esse, et plerumque satis esse debere, si eum qui lacessierit, injuriæ suæ pæniteat (I, 11). — Atque infra paulo idem adjicit, *nihil magno et præclaro viro dignius esse placabilitate atque clementia* (I, 25). Sed præter insitam Ciceronis ingenio lenitatem, post tot civiles tempestates, id sane Romæ evenire debuit, ut ferocitas civium ipsa calamitatum immanitate fracta mitesceret, ac ipsi victoria uti clementius et victis parcere discerent.

Porro et plurimis aliis locis eumdem videas supra communem vulgi opinionem assurgere. Quamvis nempe patriam et ipse singulari caritate amplecteretur, omnia tamen pro Reip. utilitate jure fieri (quod plerique volebant), negabat; angustisque jam istis ac minutis civibus, qui nullam, cum de civitate consuleretur, rationem externorum haberent, altiora prorsus latiusque patentia officia explicat: hoc scilicet in principiis posito, *hominem homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam quod is homo sit, consulere debere*: universum enim mundum unam esse communemque omnium hominum civitatem. — Quantum id profecto (nisi quis spurium hunc locum, quod multi volunt, in Ciceronis librum postea pia fraude inseruerit), mirum atque inauditum iis mundi raptoribus visum fuisse conjicias, qui cæteras gentes, tanquam ad sibi serviendum modo natæ essent, adeo libidinose vexabant diripiebantque? — Novum vero inde jus belli

Noster expromit; remque primum generaliter amplexus, singulari moderatione, ut in homine romano, præcipit, quæ etiam adversus hostes observanda sit justitia. Bellum nempe monet ob eam tantummodo causam suscipiendum, ut sine injuria vivatur: neque prius ad arma confugere licere, quam frustra disceptationem ad componendas lites adhibueris : vix parta autem victoria, paci prorsus consulendum, devictisque nationibus parcendum, quæ ad imperatoris fidem confugerint. — Quo quidem jure gentium, nihil verius pulchriusque usquam inveneris. Sed cum, his positis, tot bella continuo in memoriam occurrunt, a Romanis injuria suscepta profligataque, istis jam difficultatibus impeditus, rem levius attingit, atque ad alia deflectit; fecialisque juris in formulis commoratur; quibus ex legibus jam satis erat bellum rite denuntiatum fuisse et indictum, ut pro justo haberetur. Sic in tertio suo de Rep. libro, postquam disceptatio in eamdem rem incidisset, idem senatus fraudes quadam juris specie excusare conabatur, debellandique perpetuitatem tot triumphorum splendore (ut ita dicam) involvere: Romam scilicet, sociis semper defendendis, terrarum omnium potitam esse : ipsamque eam dominationem devictis gentibus profuisse, quas sparsas Roma in unum imperium, easdemque moribus ac lingua discordes in unius sermonis commercium et humanitatem contraxerit. Quod saltem dictu tenus speciosum erat. — Nunc autem quod justum est, melius Noster observat: atque si quando de imperio aut gloria decertetur, hoc bellum minus acerbe gerendum esse monet, quam si certamen pro salute ac libertate esset. Ea vero humanior debellandi ratio jamdudum Romam penetrare cœperat. Æmilianum enim accepimus, clarissimum illum Panætii auditorem, acerrime Carthaginem

in curia adversus Catonem defendisse, atque cum eam urbem in incendio corruentem spectaret, inter victoriam, mirantibus amicis, illacrimasse.

Nec justitiam illam, qua omnis hominum inter se societas conjungitur, ad id unum, ne cui quis noceat, cogit Cicero; at præterea subjicit *cuique etiam, quantum quisque possit, benefaciendum.* Atque hinc, *Liberalitatem* porro definit quamdam, prudentem vero ac parcam, sed quæ saltem in communem vitæ usum diduci possit. — Quanquam eam benignitatem, si temporum haud satis rationem habeas, nimis tamen ad utilitatem interdum compositam dixeris; sive te admoneat magister, ne benignior esse velis, quam res patitur, et ad alios transferas, quod tuis relinqui æquius sit; sive te illis imprimis largiri jubeat, qui ad tuas utilitates officia ante contulerint, aut rursus conferre possint. In his omnibus præceptis quædam semper observatur medio-critas, quæ hominem decet; humanam virtutem instituit Cicero : quatenus homini ire datum fuerit, nec ultra, ipse progreditur. Quis vero alius, præter Deum, eam liberalitatem ultra dilatare potuit? sed de his satis dictum est.

III. Fortitudo. Sæpe fit, ut homo, qui tot rebus adversis obnoxius jaceat, honestum id decorumque, quod vitæ propositum est, jam nequeat obtinere, nisi sese per *animi fortitudinem* supra arduas res efferat, humanaque despiciat.

Quam vero animi elationem, quam vim ac robur virtutis appellabant stoici, ita Cicero sapienti suo vindicat, ut asperiorem tamen eam quadam Socratica moderatione constantiam temperet. Nam placet jam, ut diximus, virtus quædam civilis, ad strenue agendum instructa; gnavamque hanc fortitudinem commendat, quæ publicis rebus versatur, quamque ipse

amplexus fuerat, utpote aliis fructuosiorem, sibique ad claritatem aptiorem. Senserat enim nullum virtutis momentum homini acrius natura datum esse, quam ingenitam illius, quæ publicis in rebus comparatur, gloriæ cupidinem; eamdemque eam magna et utilia aggrediendi voluntatem eo magis increscere, quo majus theatrum daretur, et plurium admoverentur plausus atque admiratio. Nam sæpe fatebatur ipse non ultro se tot labores pro civium salute, totque pericula suscepisse, nisi amplam inde mercedem sibi affore sperasset, gloriam. Atque hinc exorsus, togatam illam fortitudinem laudibus (ut victorem Catilinæ decuit) extollit, in qua plerumque haud minorem atque in bellica virtute splendorem inesse magnifice demonstrat.

Virum bonum igitur sibi fortunæque superiorem fieri jubet, non ut in ignava se indolentia contineat, sed melius contra, si vacet ab omni perturbatione, civibus suis inde prodesse possit. Civem nempe, nec philosophum, eumque ad vitam, neque ad scholam instituit: non sapientem ergo rerum incuriosum, sed placidum vult esse atque intrepidum, qui, si quando ad Remp. accesserit, tunc legum similis, præsentis animi vel inter procellas utatur consilio, neque a ratione unquam discedat. Eam demum animi constantiam adumbrat, quam a communi Romanorum usu proximam homines non sequi modo possint, sed et velint. — Non divitiis ergo jam odium indicit, non opibus: neque pecuniam ad bene vivendum censet esse inutilem, aut paupertatem per se expetendam esse: sed contra in omnium rerum abundantia simpliciter fideliterque ac vitæ hominum amice sapientem vivere posse. Semper, ut Horatius postea, inter nimium parumque honestam tenet mediocritatem; nec fastuosas Cynici sordes, nec stolidam Stoici pugilis fortitudinem

jam admiratur, malam ultro fortunam ipsius provocantis. Sed furentis esse existimat, egestate gaudere, aut in tranquillo adversam tempestatem optare, seque offerre periculis, quibus subvenire potuisset.

IV. Temperantia. — In componendis inter se singulis quas hominis natura complectitur partibus, ordineque moderandis, ea *Temperantia* apparet, virtutis quasi venustas et pulchritudo. Nam, cum priores Stoici cæteros animi affectus non modo sedare, sed omnino evellere voluissent, Cicero contra hos omnes affectus et ipsos natura datos esse naturæque congruere arbitratur, sed eosdem ordine contrahendos esse, ne longius evagentur, finemque ac modum transeant. Moderationem autem eam omnium, quæ, quemadmodum pulchritudo corporis ex apta compositione membrorum, sic et ipsa ex ordine et constantia affectuum efficitur, *decorum* quoque (τὸ πρέπον), sive *quod decet* appellat.

Multa inde educitur de cultu boni viri ac munditiis disputatio. Atque forsan auctorem nostrum in præcipiendo, qualis sapientem habitus deceat, minutiorem fuisse hic merito dixeris : quippe qui jam ex magna parte virtutem in exteriori quadam dignitatis specie ponere videatur. Sed eum theatralis virtutis apparatum quam maxime cum Romanorum moribus ac indole accommodatum fatearis, necesse est. Rerum enim hominumque rationem in hoc habuit Cicero. Cumque cives suos, tanquam partes in theatro agerent, omnia ad oculos et spectaculum componere videret, idne momentum, unde stimulos bono viro adjiceret, mercedemque polliceretur, præsertim cæteris deficientibus honestis, ipse removere debuit? Quid contra jam opportunius fieri potuit, quam si principibus istis civitatis, suæ dignitatis admodum studiosis, manifestum ostenderet, summam veramque dignitatem cum virtute conjunctam esse?

Qua igitur in temperatæ honestatis descriptione, quæ ex ipsa humana imbecillitate utilitatem aliquam percipiat, Cicero omnino Romanus, aut potius omnino homo est. Hic ludo aliquid remittit, aliquid etiam et voluptati, si modo quis ejus fruendæ honestum modum teneat : ac rursus quidquam hominem vetat sectari, quod assequi nequeat. Itaque haud ad unum jam exemplar, ut Stoici, diversissimas singulorum hominum naturas fingere conatur : at sua cuique tuenda esse præcipit, non vitiosa, sed tamen propria, quo facilius *decorum* retineatur. « Nam, inquit, nihil profecto magis decorum est, quam æquabilitas quum universæ vitæ, tum singularum actionum : quam conservare non possis, si aliorum naturam imitans, omittas tuam..... Expendere autem oportet, quid quisque habeat sui, eaque moderari, nec velle experiri quam se aliena deceant. Id enim maxime quemque decet, quod est cujusque maxime suum : suum igitur quisque noscat ingenium, acremque se et bonorum et vitiorum suorum judicem præbeat (I, 31). »

Ipsum illud judicium tum maxime adhiberi jubet, ubi, ineunte adolescentia, cuique jam deligendum est, quam vitæ viam sequi debeat. Quumque alii multitudinis potius judicio quam suo, alii consilii sui imbecillitate ad vitæ genus, quod se non satis deceat, temere sæpe ferantur; ipse naturam tum præsertim sequendam esse præcipit Cicero, neque generalem modo eam absolutamque naturam, sed proprium singulareque cujusque ingenium : ita ut alter militiæ, eloquentiæ alter, aut cæteris artibus pro sua quisque indole præstet operam. Nam cum multæ vitæ viæ ineunti pateant ad eamdem metam ferentes, singulæ singulis ab hominibus ita deligendæ sunt, ut propositum finem suis pro viribus optime quisque assequatur.

terea, quod unus rationis est particeps, ea insuper, quæ cum Deo summoque bono conjuncta sunt, perspicere, neque id tantum quod adest, sed totius vitæ cursum animo complecti, ita ut ad eam totam degendam necessarias opes comparare possit : cumque bellua cæco solum sensus impetu moveatur, hominem vero homini eadem vi rationis conciliari, non modo ad stabilem conjugii domusque sed etiam civitatis societatem : eum denique ideo a natura informatum esse, ut quid verum sit, quid ordo, quid deceat, quid non, sentiat amplectaturque, justitiamque tueatur, neminique parere, nisi legitime imperanti, velit (I, 4).

Quibus ex diversis animi momentis, quibus humana natura continetur, singula vitæ officia Noster derivat. Sic intimo hominis in pectore, ut ita dicam, scrutatur, quid ipse Deus cuique præceperit, quamque propria manu legem æternam intus descripserit.

IV.

Virtutis in generales suas partes descriptio. — Prudentia. — Justitia. — Fortitudo. — Temperantia.

> *Vivendi* recte sapere est et principium et fons,
> Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.
> *Hor.*, Ars p., 309.

Postquam sic naturam, ratione magistra, ducem sequendam esse posuit Cicero, idque esse supremam vivendi legem omnisque honesti fontem; jam in suas partes illud honestum, unde tota vita dirigatur, continuo describere aggreditur : Atque in ordine recenset, quæ singulis ex his virtutis partibus certa nascantur officiorum genera.

Qua in partitione, veterem Socraticorum divisionem,

cum Panætio Posidonioque, retinuit. — Quatuor igitur præcipuas et cardinales, ut hoc utar, virtutes ponit, quæ cæteras omnes subjectas complectantur : 1° *Prudentiam* (quam innatam veri cupiditatem appellare malim), qua ad exquirendum quid in quaque re potissimum amplecti debeat, unusquisque impellitur : — 2° *Justitiam*, in qua virtutis splendor est maximus; quippe quæ unumquemque hominem intus ad id quod bonum est agendum stimulet, vetandoque a fraude deterreat. — 3° *Fortitudinem*, id est, eam invicti animi elationem, quæ nullis periculis calamitatibusque ab honesto deturbari possit : — 4° *Temperantiam*, demum quæ sedat animi perturbationes, voluptatibus imperat, alias coercet atque abigit, alias dispensat, et omnia quasi decoro cultu (κατὰ τὸ πρέπον) ad suum modum redigit, et numeris omnibus absolvit. Quibus vero in singulis partibus paululum explicandis commoremur, necesse est.

I. Prudentia. — Ea omnia perspiciendi cupido, rerumque expetendarum fugiendarumque scientia, homini profecto, quasi lampas quædam, a Deo data est, qua vitæ viam illustraret. Sed quum priores philosophi, nimio noscendi studio impulsi, omnem curam in res obscuras difficilesque, easdemque non satis ad vitam necessarias, contulissent, rursus Stoæ principes viri, Socratis exemplo, sapientiam e cœlo alienisque his artibus devocarunt, ac de vita et moribus quærere eam coegerunt. At ne ipsi quidem modum in hoc retinuere; Zenoque Cittieus, in Reipublicæ suæ prooemio, cæteras disciplinas liberales, quæ curiositatem inutilem moveant, neque viam ad virtutem sternant, e civitate sua videtur omnino repudiasse (1).

---

(1) Diog. Laert., VII, 32.

Quos inter medium servat Cicero; bonumque virum ingenuis artibus litterisque ita indulgere jubet, ut nunquam tamen studio a rebus gerendis, augendisque hominum utilitatibus avocetur: nec Platonis sapientem probat, procul a popularibus turbis, otiose quiescentem. « Quis est tam cupidus, inquit, in perspicienda » cognoscendaque rerum natura, ut si ei tractanti, » contemplantique res cognitione dignissimas, subito » sit allatum periculum, discrimenque patriæ, cui » subvenire possit, non illa omnia delinquat atque ab- » jiciat, etiamsi dinumerare se stellas aut metiri mundi » magnitudinem arbitretur (Off. I, 43). » In hoc præsertim Cicero ideo videtur institisse, quia Peripateticis, apud quos filius tum Athenis instituebatur, maxime placebat ea vitæ degendæ ratio quieta, in rerum contemplatione posita. Marcum autem suum ad forensem, neque ad istam umbratilem vitam destinabat; neque ipse prius in studiis acquievit, quam omnibus muniis defunctus esset; sed et has artes tum potissimum colebat, unde aliquid ad usum et vitæ agendæ et gerendæ Reip. posset adhibere. Virtutis nempe laudem omnem ponebat in *actione;* sapientiamque eam mancam quodammodo et inchoatam rejiciebat, quam nullus rerum usus consequeretur (I, 6). — Postea quidem, cum jam amissa libertate cives a foro publicisque rebus excludebantur, tunc si quis vir bonus intra conscientiæ suæ recessum confugeret, atque in otiosa librorum acquiesceret conversatione, ipsa temporum acerbitas hanc segnitiem tolerabat, aut potius imperabat: Nunc vero strenuam bellatoriamque, quæ se ultro civitatis periculis objiceret, virtutem, suprema illa romanæ libertatis certamina tunc maxime poscebant. Nec ipse unquam patriæ Cicero defuit: abjectis procul philosophorum libris, si quando periclitanti Reip. succurrere opporteret.

II. Justitia. Quandoquidem Deus hominem ita informavit, ut suam sequi naturam, præstantioresque animi facultates ad usum aliquem nequeat adhibere, nisi quadam vivendi societate cum aliis hominibus conjunctus fuerit : princeps igitur omnium virtutum *Justitia* est, qua omnis hominum inter ipsos societas, et quasi vitæ communitas continetur.

Gradus autem plures sunt societatis hominum. Arctior quidem priorque colligatio societatis in ipso *conjugio* est : proxima in *liberis*, qui, cum adolescentes una domo jam capi non possunt, in alias domos, semper tamen communi inter se vinculo conjunctas, exeunt. Sequuntur *affinitates*, ex quibus plures propinqui. Quæ propagatio et soboles principium est *urbis* et origo *Reipublicæ*, quæ homines ejusdem gentis, nationis, linguæ societate complectitur. Omnia denique adeo inter se conjunguntur, ut ab exiguo isto unius domus consortio, majoribus quasi orbibus circumducta, tandem ad immensam totius humani generis societatem extendatur quædam utilitatis communitas.

Diversis ex his societatis rationibus omnia oriuntur privata publicaque Justitiæ officia; quæ, quamvis infinita, in eam sententiam cogit Cicero, *ut cuique suum tribuatur, communique inserviatur utilitati*; homines enim hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent (I, 7).

Quum vero operis nostri angustiis prohibemur, ne in varia ea officiorum descriptione, propius nostrum sequamur auctorem; pauca tantum referemus, unde manifestum appareat, quo usque moralem doctrinam ille protulerit. Quot enim nobis ea, quæ de Justitiæ partibus disputat, legentibus, eximiæ sententiæ occurrunt, quæ jam nescio quid Christiani redolere videan-

tur? interdum profecto præcepta quædam ex Sanctorum Patrum scriptis excerpta esse dixeris : adeo nova illa vitæ institutio a communi morum Romanorum asperitate abhorret! Dum enim apud eos, viro flagitiosissimum haberetur impune injuriam accepisse, Cicero contra filium docet, quædam officia vel adversus hos, a quibus injuria lacessitus fuerit, esse servanda; ulciscendi quippe et puniendi modum esse, et plerumque satis esse debere, si eum qui lacessierit, injuriæ suæ pæniteat (I, 11). — Atque infra paulo idem adjicit, *nihil magno et præclaro viro dignius esse placabilitate atque clementia* (I, 25). Sed præter insitam Ciceronis ingenio lenitatem, post tot civiles tempestates, id sane Romæ evenire debuit, ut ferocitas civium ipsa calamitatum immanitate fracta mitesceret, ac ipsi victoria uti clementius et victis parcere discerent.

Porro et plurimis aliis locis eumdem videas supra communem vulgi opinionem assurgere. Quamvis nempe patriam et ipse singulari caritate amplecteretur, omnia tamen pro Reip. utilitate jure fieri (quod plerique volebant), negabat; angustisque jam istis ac minutis civibus, qui nullam, cum de civitate consuleretur, rationem externorum haberent, altiora prorsus latiusque patentia officia explicat : hoc scilicet in principiis posito, *hominem homini*, *quicumque sit*, *ob eam ipsam causam quod is homo sit*, *consulere debere* : universum enim mundum unam esse communemque omnium hominum civitatem. — Quantum id profecto (nisi quis spurium hunc locum, quod multi volunt, in Ciceronis librum postea pia fraude inseruerit), mirum atque inauditum iis mundi raptoribus visum fuisse conjicias, qui cæteras gentes, tanquam ad sibi serviendum modo natæ essent, adeo libidinose vexabant diripiebantque ? — Novum vero inde jus belli

Noster expromit; remque primum generaliter amplexus, singulari moderatione, ut in homine romano, præcipit, quæ etiam adversus hostes observanda sit justitia. Bellum nempe monet ob eam tantummodo causam suscipiendum, ut sine injuria vivatur: neque prius ad arma confugere licere, quam frustra disceptationem ad componendas lites adhibueris : vix parta autem victoria, paci prorsus consulendum, devictisque nationibus parcendum, quæ ad imperatoris fidem confugerint. — Quo quidem jure gentium, nihil verius pulchriusque usquam inveneris. Sed cum, his positis, tot bella continuo in memoriam occurrunt, a Romanis injuria suscepta profligataque, istis jam difficultatibus impeditus, rem levius attingit, atque ad alia deflectit; fecialisque juris in formulis commoratur; quibus ex legibus jam satis erat bellum rite denuntiatum fuisse et indictum, ut pro justo haberetur. Sic in tertio suo de Rep. libro, postquam disceptatio in eamdem rem incidisset, idem senatus fraudes quadam juris specie excusare conabatur, debellandique perpetuitatem tot triumphorum splendore (ut ita dicam) involvere: Romam scilicet, sociis semper defendendis, terrarum omnium potitam esse : ipsamque eam dominationem devictis gentibus profuisse, quas sparsas Roma in unum imperium, easdemque moribus ac lingua discordes in unius sermonis commercium et humanitatem contraxerit. Quod saltem dictu tenus speciosum erat. — Nunc autem quod justum est, melius Noster observat: atque si quando de imperio aut gloria decertetur, hoc bellum minus acerbe gerendum esse monet, quam si certamen pro salute ac libertate esset. Ea vero humanior debellandi ratio jamdudum Romam penetrare cœperat. Æmilianum enim accepimus, clarissimum illum Panætii auditorem, acerrime Carthaginem

in curia adversus Catonem defendisse, atque cum eam urbem in incendio corruentem spectaret, inter victoriam, mirantibus amicis, illacrimasse.

Nec justitiam illam, qua omnis hominum inter se societas conjungitur, ad id unum, ne cui quis noceat, cogit Cicero; at præterea subjicit *cuique etiam*, *quantum quisque possit*, *benefaciendum*. Atque hinc, *Liberalitatem* porro definit quamdam, prudentem vero ac parcam, sed quæ saltem in communem vitæ usum diduci possit. — Quanquam eam benignitatem, si temporum haud satis rationem habeas, nimis tamen ad utilitatem interdum compositam dixeris; sive te admoneat magister, ne benignior esse velis, quam res patitur, et ad alios transferas, quod tuis relinqui æquius sit; sive te illis imprimis largiri jubeat, qui ad tuas utilitates officia ante contulerint, aut rursus conferre possint. In his omnibus præceptis quædam semper observatur mediocritas, quæ hominem decet; humanam virtutem instituit Cicero: quatenus homini ire datum fuerit, nec ultra, ipse progreditur. Quis vero alius, præter Deum, eam liberalitatem ultra dilatare potuit? sed de his satis dictum est.

III. Fortitudo. Sæpe fit, ut homo, qui tot rebus adversis obnoxius jaceat, honestum id decorumque, quod vitæ propositum est, jam nequeat obtinere, nisi sese per *animi fortitudinem* supra arduas res efferat, humanaque despiciat.

Quam vero animi elationem, quam vim ac robur virtutis appellabant stoici, ita Cicero sapienti suo vindicat, ut asperiorem tamen eam quadam Socratica moderatione constantiam temperet. Nam placet jam, ut diximus, virtus quædam civilis, ad strenue agendum instructa; gnavamque hanc fortitudinem commendat, quæ publicis rebus versatur, quamque ipse

amplexus fuerat, utpote aliis fructuosiorem, sibique ad claritatem aptiorem. Senserat enim nullum virtutis momentum homini acrius natura datum esse, quam ingenitam illius, quæ publicis in rebus comparatur, gloriæ cupidinem; eamdemque eam magna et utilia aggrediendi voluntatem eo magis increscere, quo majus theatrum daretur, et plurium admoverentur plausus atque admiratio. Nam sæpe fatebatur ipse non ultro se tot labores pro civium salute, totque pericula suscepisse, nisi amplam inde mercedem sibi affore sperasset, gloriam. Atque hinc exorsus, togatam illam fortitudinem laudibus (ut victorem Catilinæ decuit) extollit, in qua plerumque haud minorem atque in bellica virtute splendorem inesse magnifice demonstrat.

Virum bonum igitur sibi fortunæque superiorem fieri jubet, non ut in ignava se indolentia contineat, sed melius contra, si vacet ab omni perturbatione, civibus suis inde prodesse possit. Civem nempe, nec philosophum, eumque ad vitam, neque ad scholam instituit : non sapientem ergo rerum incuriosum, sed placidum vult esse atque intrepidum, qui, si quando ad Remp. accesserit, tunc legum similis, præsentis animi vel inter procellas utatur consilio, neque a ratione unquam discedat. Eam demum animi constantiam adumbrat, quam a communi Romanorum usu proximam homines non sequi modo possint, sed et velint. — Non divitiis ergo jam odium indicit, non opibus : neque pecuniam ad bene vivendum censet esse inutilem, aut paupertatem per se expetendam esse : sed contra in omnium rerum abundantia simpliciter fideliterque ac vitæ hominum amice sapientem vivere posse. Semper, ut Horatius postea, inter nimium parumque honestam tenet mediocritatem; nec fastuosas Cynici sordes, nec stolidam Stoici pugilis fortitudinem

jam admiratur, malam ultro fortunam ipsius provocantis. Sed furentis esse existimat, egestate gaudere, aut in tranquillo adversam tempestatem optare, seque offerre periculis, quibus subvenire potuisset.

IV. Temperantia. — In componendis inter se singulis quas hominis natura complectitur partibus, ordineque moderandis, ea *Temperantia* apparet, virtutis quasi venustas et pulchritudo. Nam, cum priores Stoici cæteros animi affectus non modo sedare, sed omnino evellere voluissent, Cicero contra hos omnes affectus et ipsos natura datos esse naturæque congruere arbitratur, sed eosdem ordine contrahendos esse, ne longius evagentur, finemque ac modum transeant. Moderationem autem eam omnium, quæ, quemadmodum pulchritudo corporis ex apta compositione membrorum, sic et ipsa ex ordine et constantia affectuum efficitur, *decorum* quoque (τὸ πρέπον), sive *quod decet* appellat.

Multa inde educitur de cultu boni viri ac munditiis disputatio. Atque forsan auctorem nostrum in præcipiendo, qualis sapientem habitus deceat, minutiorem fuisse hic merito dixeris: quippe qui jam ex magna parte virtutem in exteriori quadam dignitatis specie ponere videatur. Sed eum theatralis virtutis apparatum quam maxime cum Romanorum moribus ac indole accommodatum fatearis, necesse est. Rerum enim hominumque rationem in hoc habuit Cicero. Cumque cives suos, tanquam partes in theatro agerent, omnia ad oculos et spectaculum componere videret, idne momentum, unde stimulos bono viro adjiceret, mercedemque polliceretur, præsertim cæteris deficientibus honestis, ipse removere debuit? Quid contra jam opportunius fieri potuit, quam si principibus istis civitatis, suæ dignitatis admodum studiosis, manifestum ostenderet, summam veramque dignitatem cum virtute conjunctam esse?

Qua igitur in temperatæ honestatis descriptione, quæ ex ipsa humana imbecillitate utilitatem aliquam percipiat, Cicero omnino Romanus, aut potius omnino homo est. Hic ludo aliquid remittit, aliquid etiam et voluptati, si modo quis ejus fruendæ honestum modum teneat : ac rursus quidquam hominem vetat sectari, quod assequi nequeat. Itaque haud ad unum jam exemplar, ut Stoici, diversissimas singulorum hominum naturas fingere conatur : at sua cuique tuenda esse præcipit, non vitiosa, sed tamen propria, quo facilius *decorum* retineatur. « Nam, inquit, nihil profecto ma-» gis decorum est, quam æquabilitas quum universæ » vitæ, tum singularum actionum : quam conservare » non possis, si aliorum naturam imitans, omittas » tuam...... Expendere autem oportet, quid quisque » habeat sui, eaque moderari, nec velle experiri quam » se aliena deceant. Id enim maxime quemque decet, » quod est cujusque maxime suum : suum igitur quis-» que noscat ingenium, acremque se et bonorum et vi-» tiorum suorum judicem præbeat (I, 31). »

Ipsum illud judicium tum maxime adhiberi jubet, ubi, ineunte adolescentia, cuique jam deligendum est, quam vitæ viam sequi debeat. Quumque alii multitudinis potius judicio quam suo, alii consilii sui imbecillitate ad vitæ genus, quod se non satis deceat, temere sæpe ferantur ; ipse naturam tum præsertim sequendam esse præcipit Cicero, neque generalem modo eam absolutamque naturam, sed proprium singulareque cujusque ingenium : ita ut alter militiæ, eloquentiæ alter, aut cæteris artibus pro sua quisque indole præstet operam. Nam cum multæ vitæ viæ ineunti pateant ad eamdem metam ferentes, singulæ singulis ab hominibus ita deligendæ sunt, ut propositum finem suis pro viribus optime quisque assequatur.

Quidquid autem inde de retinenda in omnibus vivendi conditionibus dignitate exquisite descripserit Cicero, non hic apponam: sed pauca tamen de iis artibus adjicere velim, quas ingenuum virum potissimum decere existimat; rursusque indicare, quæ artificia, ut sordida, servis tantum ac ignobilibus censeat relinquenda. Nunquam enim Romæ mercatura aut cæteræ artes mercenariæ in honore fuerant (1). Nunc vero, plerisque proletariis civibus fœnore belloque absumptis, servi externique homines magis atque magis fabricas omnes tabernasque adeo invaserant, ut jam libero homini indecorum esset in officina versari. — Adde præterea tot magnificarum civitatum exempla, artibus quondam ac divitiis adeo conspicuarum, atque imprimis Corinthi, Syracusarumque, Carthaginisque tandem, illius negotiorum reginæ, quæ suorum prius luxuria civium, quam Romanorum armis oppugnatæ fuerant. Postquam has opulentas urbes, ubi pecunia defuit unde alienos milites mercarentur, e tanto rerum fastigio corruentes vidissent Romani, quantum ipsis inde crescere quoque debuit illiberalium earum artium contemptus, quæ quasi quoddam bellicæ virtutis venenum esse viderentur? Pestem istam lucri, si quo inciderit, mox ad omnia grassari recte senserant; atque ubi cives quæstui navent operam, divina mox humanaque omnia, imo patriam ipsam quæstui esse, atque sub hasta licere. Mercaturam igitur, si modo *tenuis* sit, portitorumque quæstus, opificumque mercenarias artes Cicero improbat, servisque, aut iis quorum ordini conveniant, assignat: istas enim lucri sordes infra patriciorum dignitatem jacere arbitratur; *Namque*, ut antea in Rep. (lib. V) sua dixerat, *eumdem populum imperatorem ac portito-*

(1) Dion. Halic., Ant. R., IX, 25.

rem terrarum esse nolo (1). — Omnium vero artium, quibus res familiaris augeri possit, Agriculturam unam, quam ab urbe condita præclarissimi viri exercebant, servat, commendatque, ut homine libero Romanoque plane dignam.

V.

De Boni Malique Sanctione.— Sublata Deorum auctoritate, immortalitateque animorum, quibus virtus sanciatur, omnem jam officiorum institutionem Cicero ad decoram ostentationem approbationemque hominum instruit.

> Nos decorum sequamur, et ab omni quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione fugiamus. Status, incessus, sessio, accubitio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum.
>
> *Off.*, I, 35.

De quatuor istis capitalibus virtutibus, unde omnia Officiorum genera exoriuntur, longius fortasse ac pro nostræ commentationis spatio disseruimus. Sed placebat tum præsertim Ciceronem sequi, rem a capitė ita repetentem, ut nunquam tamen minutissima consectanti excidant; atque omnia ea, quibus vitæ disciplina continetur, officia, ex ipsa hominis natura haurientem, communi tanquam de fonte, et in singulas vitæ conditiones, ut totidem in rivulos diducentem.

Quadripartitam eam virtutis descriptionem a Socrate primum constitutam fuisse, ejusque discipulorum scriptis sæpe illustratam supra diximus. Quorum autem princeps Plato, quum eosdem justi, æqui, bonique fontes aperuit, ut inde singula hominis officia derivaret, non id

---

(1) Nunquam Romæ mercatura in contemptu sic haberi desiit; principesque viri negotiari lege Honorii Theodosiique adhuc prohibebantur. Quam interdictionem servavit in codice suo Justinianus unam. — « *Nobiliores, natalibus et honorum luce conspicuos, et patrimonio ditiores, perniciosum urbibus, mercimonium exercere prohibemus, ut inter plebeios et negociatores facilius sit emendi, vendendique commercium.* » — Corpus Juris Rom., IV, 63, 3.

tantummodo quod in iis humanum est, præsentemque vitam tantum, ut Cicero, respiciebat : sed sublimiorem quamdam hominum cum Deo rationis societatem, et quæ post mortem futura essent, animo complectebatur, unde nova quasi luce omnem vitæ viam illustraret, et officiorum institutionem firmiore fulciret fundamento. At diversissima vitæ facies erit, sive homo, fortuito satus, divinaque ope destitutus, postquam omnes exantlaverit labores, nil post mortem jam sperare metuereve debeat; seu contra arctam sibi cum Deo conjunctionem esse is crediderit, terrenamque hanc vitam brevem tantummodo esse a cœlo peregrinationem, et quasi commentationem immortalitatis. Qua in opinione nunquam variasse videtur Socrates : « Neque tum hoc, » tum illud, sed idem dicebat semper, animos hominum » esse divinos; iisque, cum e corpore excessissent, re» ditum in cœlo patere; optimoque et justissimo cui» que expeditissimum (Cic., *de Amic.*, 4). »

Stoici vero illam hominum cum Diis communitatem, verbo quidem tenus servatam, re autem dirimebant. Quamvis enim multa de Deorum natura disputarent, divinamque providentiam subtiliter defenderent, nil inde ad usum vitæque institutionem referebant : Deusque ex tota eorum morali philosophia tollitur. Ac merito de otiosis disputationibus S. Paulus postea, cum Romam venisset, dicere potuit, eos nequidquam Deum cognovisse, cui nulla officia deberi arbitrarentur; suisque in cogitationibus, animi tanquam tenebris occæcatos, evanuisse (1). — Quin istam de Diis dubitationem in dies hucusque crevisse dixeris. Jam Ciceronem ipsum, in suis de Natura Deorum libris, videas licet, postquam in utramque partem causam academice oravit, tan-

(1) Ep. ad Rom., I, 21.

dem nil pro certo de Diis affirmari posse concludentem. — At fortasse quis objiciet, in hoc profecto de quo disputatur opere, Tullium Diis prima deberi officia instituisse, secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis (1). Quid autem? Postquam speciosam illam officiorum distributionem in fronte operis ostentavit, sane ut vulgi imbecillitati morigeraretur; in explicandis singulis virtutis partibus, idem jam Deos relegat, tanquam publici tantummodo juris religio esset; neque in privata ea vitæ disciplina, quid iis debeatur, disceptandum esse putat. Imo Deos, si quando eorum mentionem faciat, ad vana prope nomina redigit; idemque de iis sentire videtur, atque Ennius in suo Telamone:

> Ego Deûm genus esse semper dixi, et dicam cœlitûm,
> Sed eos non curare opinor, quod agat humanum genus.

Quodnam enim jam illud est ridiculum Jovis simulacrum, *qui neque in impios irasci, nec pejerantibus nocere possit* (III, 29)? Nullus, ut vera dicam, præter suam cuique conscientiam, relinquitur Deus. Nam postquam in tertio eodem libro *jusjurandum religiosam affirmationem* esse posuit, idque sedulo tenendum, quod affirmate, quasi Deo teste, promiseris, continuo subjicit, *sacramentum illud non ad iram Deorum quæ nulla est, sed ad justitiam et ad fidem pertinere* (ibid.). Quod cæterum jam supra planius explicuerat. « Nam, » inquit, quum jurato (judici) sententia dicenda sit, » meminerit Deum se adhibere testem, id est, ut arbi- » tror, *mentem* suam, qua nihil homini dedit Deus ipse » divinius (III, 10). » — Id equidem pulchrum sane esse profiteor, hominem scilicet, quum cætera undique fulcimenta virtutem deficiant, conscientia eo firmius in-

(1) Off., I, 45.

niti, eamque tanquam testem, imo tanquam Deum, in omnibus rebus admovere. Sed tamen quæ jam esse possit mancæ istius conscientiæ auctoritas, nisi Dii ipsi superne adhibeantur, bonorum malorumque nostrorum judices, pro meritis quemque remuneraturi? Quot enim sunt homines, quos sua ipsorum reverentia, nullis aliis adminiculis, per se satis jubendo ad officium vocet, vetandoque semper a fraude deterreat, si tollatur Deorum metus, nec alia monitis sanctio adjiciatur, quam ut bonus sua virtute gaudeat, impiumque sui quemque sceleris recordatio exagitet? Præclara autem illa suæ conscientiæ religio, si verum fateri volumus, paucissimis hominibus, iisque præstantissimæ mentis, vix sufficiet. At cæteri interiorem eam legem suum quisque jam ad arbitrium fingent refingentque; neque Deum satis, quum ipse sibi pro Deo erit, homo verebitur.

Similiter, in toto illo opere, nullam spem immortalitatis elucere videas. Sed quis tum Romæ erat, qui illa poetarum somnia haud irrideret? Quis nuper, quum palam in ea oratione (quam ex magna parte integram Sallustius conservasse videtur), C. J. Cæsar, summus pontifex, mortem improbis ærumnarum requiem, nec cruciatum esse dixisset, sententiam ejus refellere studuit? idne tantummodo in respondendo attigit ipse Cato, acerrimus ille veterum morum custos? Jam autem id dudum dici potuisset, quod postea Juvenalis:

Esse aliquos Manes, et subterranea regna,
Et Contum, et Stygio ranas in gurgite nigras,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur (1).

Quamquam tamen Ciceronem ipsum in *Tusculanis* declamationibus dixeris, quasi divino quodam numine

(1) Sat. II, 149.

afflatum, interdum præsensisse, quid bono viro post mortem sperandum esset. Tanto enim illi viro, laudisque amantissimo, quantum ea arridere debuit immortalitatis opinio? Spem eam totis viribus amplectitur, retinetque : huc sæpe eum juvat confugere; eam inprimis causam defendere atque magnifice perorare studet. Sed postquam, absoluta jam declamatione, ad usualem (ut hoc utar) prudentiam rediit, in eadem rursus, qua prius versabatur, fluctuat dubitatione; totaque eximia illa doctrina, tanta ingenii subtilitate instructa, fragilior jam esse videtur, quam ut quidquam inde ad usum vitæ accommodari possit. — Adde præterea, quod in ea officiorum descriptione, Panætii, ut diximus, Cicero vestigiis instabat; quem accepimus, a Platone suo in hoc dissentientem, animam esse mortalem cum cæteris Stoicis semper affirmasse (1).

Sublata vero divina ea spe, et quasi vitæ luce, simul magnificæ suæ virtuti Stoici certa quibus ea staret fundamenta subtraxere. Quæ igitur tota eorum disciplina, velut arbos, quæ nullas radices habeat, sterilis ex magna parte maneret, necesse erat. Nempe eos in una ea re a vero aberrasse satis fuit, ut inde tota philosophandi ratio perturbaretur. Quos inde in extricabilibus vitæ viis jam videas nequidquam omni ope atque opera enitentes, ut quamdam saltem divinæ Providentiæ umbram mundo consulentis, inter tot adversa, tuerentur, atque humanæ sortis arcana illustrarent. Si quid vero enodare nequirent, gladio secabant : Quumque res adversæ bonorum, malorumve

(1) Vult Panætius (quod nemo negat) quidquid natum sit interire : nasci autem animos (quod declarat eorum similitudo, qui procreentur, quæ etiam in ingeniis, non solum in corporibus appareat). — Alteram autem affert rationem ; nihil esse quod doleat, quin id ægrum esse quoque possit ; quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum; dolere autem animos; ergo etiam interire. Tuscul. I, 32.

prosperæ haud satis cum ea providentiæ opinione congruere videbantur, jam quidquam bonum esse, nisi quod honestum, aut malum quidquam, nisi quod turpe esset, omnino negabant; cæteraque, quæ vulgo bona aut mala putantur, non in natura, sed in vana opinione constare. — Sed quid sapientem, cum adversis undique urgetur, tum mala nulla esse disputare juvat? aut potius quis jam ad stolidam hanc argumentationem confugiat?

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur; et eripitur persona, manet res.

Quum igitur videret Cicero paucissimos homines, aut potius neminem esse, præter Catonem, qui sua conscientia contentus, speque omni ac divina ope destitutus, virtutem tamen ipsam amplecteretur, atque ex se totus esset; alia jam undique sapienti suo quærit subsidia; nec quidquam omittit, unde vires virtuti intus adeo fragili suppeditet. Itaque, præter singularem eam conscientiæ auctoritatem, rursus hominum quibuscum vivimus opinionem (quod plerisque multo satius est), ut supra dixi, admovit. Nullum enim homini, atque in primis Romano, acrius momentum ea civium suorum approbatione datum esse ipse sat expertus fuerat, quo quis ad honestum impelli, aut a turpi deterreri posset: omnes quippe homines sua natura gloriosos esse; quumque ipsi rerum specie plurimum capiantur, rursus et suum habitum ad hominum oculos componere solitos. Quam multos et ipse videris, magna sæpe bonaque ob eam rem tantum consectantes, quod in spectaculo essent, aut saltem esse putarent?

Quæ autem cum ita sint, quis jam Ciceroni possit exprobrare, quod suam officiorum disciplinam prope

totam ad ostentationem instituat? Cum vis desit interior, in exterioribus rebus multus est. Nunquam tamen magis id quod deceat, omnibusque probetur, quam quod in se bonum sit, eum respexisse merito dixeris. — Sed et his deinde, qui in excelso vitam agunt, principibus viris, decoram illam vivendi institutionem destinabat; ita ut minus a proposito alienum esset, hic exquisita pauca de iis honestis artibus disputare, quibus suam quisque dignitatem tueretur, vulgique admirationem moveret, gratiamque popularem captaret. Quam igitur virtutis demissionem adeo non equidem improbare velim, ut contra mihi placeat ea moralis disciplinæ prudentia : quæ, quum homines omnino mutare haud valeat, eos, quales natura sint, accipiat, ut deteriora, si fieri possit, in melius vertat, et ad virtutis ipsius profectum vivacissima præsertim illa famæ cupidine utatur.

Sed quis præterea magis ac senator Romanus in his omnibus rebus, quæ extrinsecus ad tuendam dignitatem pertinent, versabatur? quis habitus, cum per ora populi incederet, studiosior? Omnia is ad speciem referebat, ad oculos componebat: Mimum in theatro cum summa totius vitæ dignitate suam personam ita agere existimes, ut in extremo multitudinis plausus moveat. Nec inepte Augustus jam moribundus ad amicos dicebat :

Εἰ δὲ πᾶν ἔχει καλῶς, τῷ παιγνίῳ
Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Quod si vero privatam in vitam penitus perspexeris, eosdem domi invenies eamdem quoque animi constantiam ac vestitus (ut ita loquar) apparatum exercentes, quibus in publico, quando spectaculum daretur, suas partes lautius agerent. — Quare frustra alias ullas do-

mesticas virtutes Romæ quæsieris, quam eas, quarum usus in publico esse posset.

Quantum tamen theatralis ea virtus, ad publicam tantum ostentationem composita, Reipublicæ reipsa profuerit, facile conjicias. Quis enim alter unquam populus, ea virtutis specie, dignitatisque quasi mendacio, diutius intestinam morum corruptelam rerumque inclinationem, non modo sibi ac cæteris hominibus operuit, sed etiam remoratus est? Nam perditissimum quemque, omnibusque intus flagitiis deditum videas, si quando ad Remp. accedat, jam alterum hominem fieri; et quamvis honores pravis artibus expugnasset, in se jam antiquam morum severitatem referre. Nec quisquam Clodium mirabatur, qui nuper Bonæ Deæ sacra violaverat, summo cum studio in curia pro Religione disserentem; Sallustiumve de luxuria haud aliter ac Catonem, multa conquerentem. Ea quippe erat tunc consuetudinis vis atque auctoritas, ut magistratus quisque, sellam ac tribunal conscendendo, dignos majorum spiritus simul concipere videretur: continuo sane subibat animum tot rerum egregie gestarum a patribus memoria, gentisque splendor, tantaque gloriæ hæreditas, quam ipse liberis suis integram relinquere deberet. Quin, de patriæ majestate si quando consuleretur, Fabricii tempora interdum rediisse dixisses.—Neque id equidem improbem, quod homo, in suorum conspectu, sic melior se esse velit. Publica nam illa virtus privatis flagitiis diu obstitit, ne in civitatis ruinam prorumperent. Quod satis ea, quæ secuta sunt, manifestum fecere. Ubi nempe cives a rebus gerendis et publica virtute C. Augustus prohibuisset, cæteras simul omnes domesticas virtutes una periisse existimes. Cunctaque sub decora specie intus adeo consenuerant, ut omnis jam Reip. moles, cum ista majorum instituta dic-

tator attigit, ex omni parte fatisceret, ac dilaberetur.

In hoc pluribus verbis commoramur, ut inde planius intelligatur, cur Cicero, in hoc de quo disputamus opere, romanam eam Officiorum institutionem ad theatrum adeo instruxerit. Sed utut hæc sunt, non tamen inficiabimur eum haud satis interdum virtutem ab hoc, quod tantum virtutis speciem habeat, distinxisse, pauloque subtilius sæpe disputasse, quibus artibus reverentiam sibi quis parere possit, quasi partes virtutis essent. Quemadmodum enim dicendi magistri non *locos* modo discipulis, variamque schematum copiam, quibus orationem adornarent, suppeditabant, sed gestus etiam, motusque dicentis, totumque corporis habitum componebant ad decorem; sic et vivendi præceptores multa de formositate corporis, ordine motuum, ornatuque ad actionem apto disserebant. « Talis est » ordo actionum adhibendus, inquit Cicero, ut, quem» admodum in oratione constanti, sic in vita omnia » sint apta inter se et convenientia (I, 35). » Probum igitur suum virum, tanquam oratorem aut histrionem, ad dignitatis imprimis conservationem addocet, ne quid in scena effœminate, ne quid durius agat, ne tarditatibus in gressu mollioribus utatur, ne rursus nimia celeritate anhelitus moveat, vultumque torqueat (I, 36): Nam, ut ait Plautus,

> Liberos homines per urbem modico magis est par gradu
> Ire ; servile esse duco, festinatim currere (1).

Imo pulchritudinem venustatemque inter virtutis partes, de more Græcorum (2), reponit Cicero: qui quidem, cum totam vitam in agora exigebant, semperque in se conversos omnium oculos videbant, quid

(1) Pæn., III, 1. — (2) Καλὸς κἀγαθὸς.

mirum, si ipsi ad eam totius habitus εὐταξίαν, qua spectantium admirationem moverent, plurimum operæ contulerint? Eum autem decoris cultum ad tuendam dignitatem suam Romanus usurparet, necesse fuit.

Quæ inter multa de conservatione decoris præcepta, paucis quidem, sed aptissime Cicero describit, qualis sermo in circulis conviviisque esse debeat : qua confabulandi inter familiares Rhetorica exquisitius quidquam sane haud invenias (I, 37). — Quædam denique de hominis honorati domo adjicit; quippe quum ipsa ædium dignitas ad conspicuæ virtutis ejus splendorem adeo proficiat (39).

Quandoquidem virtus ea ferme tota in iis rebus, quæ sunt extrinsecus, posita est, propterea rursus multa quæ ad interiorem hominem pertineant, in his libris desideres. Frustra igitur hic moralem aliquam affectuum animi descriptionem, vivosque eos de moribus locos requiras, quos tanta ingenii subtilitate Aristoteles adumbraverat. Non tam enim naturam Romanus auctor observat, quam eam contra propositam ad normam ipse fingit : ac minus quis sit homo, docet, quam qualem eum esse deceat. Omnia itaque vel diversissima ad unam habitus compositionem redigit, et rigida eadem, ut ita dicam, toga omnia pariter involvit. — Qua in disciplina, ingenium non Stoici modo, sed etiam Romani viri licet agnoscas : quem cum frangi timore aut ardere desiderio pudeat, semper ab ea animi perturbationum descriptione aversos oculos tenet, ne quid intus occurrat, quod non satis viro dignum sit; ea quæ intimo sub pectore cupiditatum metusve momenta laterent, semper Romanus maluit ignorare (1).

(1) Præcipua ea causa fuisse mihi videtur (si modo id in transitu attingere liceat), cur tragœdia Romæ minus invaluerit. Quæ enim in moribus heroum po-

Quod si nunc tamen hoc Ciceronis opus cum eorum scriptorum libris confero, qui, sub Cæsarum principatu, de eadem philosophia morali disseruerunt, novissimos hos contra multo altius in animi recessus penetrasse invenio : utpote qui a publicis rebus gerendis exclusi, secum tandem vivere magis in dies cogerentur.—At præterea intimam rerum naturam, cum, solutis jam compagibus, molès ex omni parte fatiscit, sicut in apertis cadaveris visceribus arcana vitæ, facilius deprehendas.—M. quidem Tullius, etsi jam iniquis temporibus vivebat, ad spem adhuc pronior erat, libertatisque et gloriæ amantior, quam ut intus remedia ad sanandas animi ægritudines quæreret : omnia igitur præcepta ad actionem ostentationemque informat; extrinsecus spectat. Seneca vero, adempta dudum patria libertateque, in se ipse recessisse videtur, si modo calamitatum aspectum vitiorumque pestem posset effugere. Nullam enim tum virtus ad honores viam aperiebat : nulla erat hominum publica approbatio, qua boni ad præclare agendum impellerentur; nulla opinionis reverentia, nullum præter cujusque conscientiam virtutis incitamentum. Omnem igitur vivendi disciplinam Seneca ab exterioribus, ut ita dicam, ad interiora animi devocavit. Jam intimos sensus explorat,

---

tuit esse diversitas, vividaque affectuum pictura, cum ab omni perturbatione animi, quicumque in scena agitabatur, vacare deberet? Quam luculentam fabulam ex rigida Reguli persona exprimes, nisi invictam illam animi asperitatem paululum infregeris? Si quam autem Sophoclis Euripidisque fabulam Pacuvius in scenam latine apponeret, quidquid in moribus infirmius videbatur, fletus scilicet gemitusque, solebat recidere : Ulyssemque, ut exemplo utar, in extremis Niptris moribundum inducebat, aliorum fletus sic objurgantem :

> Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet :
> Id viri est officium : fletus muliebri ingenio additus.

Quoniam autem heros quilibet nulli dolori obnoxius videri deberet, quid jam ad commovendum theatrum restabat aliud, quam ut manus in veram stragem actores consererent? Tota ergo tragœdia Romana in gladiatorum ludis continetur.

mentemque versat per omnia, ac mira subtilitate vacuas inprimis istas ægritudines et fastidia, quibus homines tabescerent, describit : sed eum animorum languorem Cicero videre nec potuit, nec voluit.

VI.

De Patria. — Patriæ utilitatem pro supremo bono proponit Cicero, unde cætera officia vitæ certo κριτηρίῳ ordinentur. — Quæ ex ea patriæ religione Romæ consecuta sint, quum civitas totum orbem terrarum complecteretur.

Urbi pater est, urbique maritus.
Phars., II.

Quanquam Ciceronem in sua virtutis institutione neque Deos immortales, neque spem alterius vitæ respexisse diximus, non hic religionem tamen omnino defuisse, quæ omnes virtutis partes complecteretur, existimari velim. Undique enim inter tot diversa vitæ officia, eminet, ut ita dicam, ingens patriæ imago, quæ Romanis tum pro cæteris omnibus Diis habebatur; illud quasi totius disciplinæ suæ fastigium extollit Noster, quo cætera spectent, referanturque. Quandoque officia inter se, ut sæpe fit, videntur repugnare, continuo communem eam patriæ utilitatem ac gloriam, tanquam supremum discriminis κριτήριον admovet, unde planius singuli cives quid agendum, quid vitandum sit, discernant.

Non sat erat enim uno verbo cum Socraticis dixisse quidquid honestum esset cum vera utilitate esse conjunctum; honestatem igitur semper esse sequendam : et si quando quædam occurrerent specie quidem honesta, inter se tamen repugnantia, tum id quod honestum videretur, præferendum; idque item et utilius

fore. Nam profecto haud semper multas inter res liquet, unde major stet utilitas, honestasque, nisi qua ex communi mensura, singulæ inter se comparentur. Maximam præterea equidem utilitatem cum summo bono conjunctam esse concedo ; qua vero in re illud, quo omnes tendere debeant, supremum bonum constet, haud satis inter homines convenit ; sublata præsertim e mundo Deorum providentia, speque immortalitatis (1).

Plato nempe, cum in hac officiorum comparatione, hominem olim ad id tantum quod per se absoluteque bonum est, respicere juberet, sublimem profecto eam vitæ disciplinam ad animorum immortalitatem informabat, æternamque Deorum cum hominibus societatem divino suo ingenio complectebatur. — Aristoteles vero, qui virtutem rursus intra vitæ terminos coercebat, omneque bonum ex utilitatis respectu metiebatur, in ea utilium inter se comparatione, id, ut melius, præferendum esse censebat quod ad plurium utilitatem pertineret : prorsusque in eo summum bonum collocandum esse, unde universæ civitatis felicitas pareretur (2). Hoc igitur universale Peripateticis criterium fuit, quo omnia in vivendi disciplina referrent, atque unde perpenderetur quantum honestatis in singulis rebus inesset.

Ea est communis patriæ utilitas, quam et ipse suæ officiorum compositioni imposuit Cicero. « Si contentio » quædam, inquit, et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, principes sunt *Patria*, et » parentes, quorum beneficiis maximis obligati su-

(1) Non hic referam, quot diversæ de *summi boni natura* opiniones a philosophis tum defenderentur. Nulla autem unquam de re in gymnasiis magis ambigebatur; teste Terentio Varrone, qui suo tempore plusquam trecentas de eadem ea re sententias numerabat. — (2) Eth. ad Nic. I, 4.

» mus (Off. I, 17). » Et supra : « Quum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, » nulla carior, quam ea quæ cum Rep. est unicuique » nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, » familiares : sed omnes omnium caritates *Patria* una » complexa est (1). »

Quid profecto majus opportuniusque altera illa patriæ religione tum potuit adhiberi, quo cætera officia convergerent? Sat enim omnibus compertum, qua singulari semper caritate Romani Romam suam excoluerint. Quorum si annales revolveris, eminet ubique ardentissimus ille patriæ amor : Reip. utilitas pro summo jure habetur; quam ad utilitatem instituta, leges, religiones, mores publici privatique, divina denique humanaque omnia flectuntur. Nam, ut de aliis taceam, quorsum tandem vetus ea Numæ de sacris institutio pertinuit, nisi ut superi Reip. ipsi inservirent, et quidquid patribus libuisset, auguriis confirmaretur? Quod Q. Maximus, cum augur esset, ipse palam profitebatur : *optimis scilicet auspiciis ea geri, quæ pro Reip. salute gererentur; quæ contra Remp. fierent, contra auspicia fieri* (2). Postquam igitur obsoleta jam majorum superstitio nullam fidem obtinebat, restitit tamen sanctissimum illud civitatis numen, Romanaque fortuna, ad quam vota spemque suam populus converteret :

Summique o Numinis instar
Roma, fave cœptis.

Mox, ubi ipsa illa civitas in bellis civilibus perierit,

---

(1) Jam olim Lucilius in satiris dixerat :

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum.....
Commoda præterea *patriæ* sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

(2) De Senect., 4.

tunc demum et ille, qui in Reip. locum successerit, Cæsar novæ religionis Deus habebitur.

Uno verbo, semper Romæ decus ac felicitas supremum illud, quod civibus proponeretur, bonum esse honestumque Romanis visum est. Sed Tullianis imprimis temporibus, quid mirum, si tanta ea civitas adeoque splendida, et tanta laude cumulata civibus suis jam pro cæteris omnibus rebus fuerit? Quænam tum pulchrior virtutis merces esse potuit, quam illa totius civitatis, aut potius mundi, approbatio, totque honorum splendor, quibus præstantissimus quisque augeretur? aut quis jam alteram vitam desiderasset, quum sui saltem nominis laudem in gentis suæ perpetuitatem æternitatemque Romæ spes esset prorogandi? Quæve prorsus altera jam animorum immortalitas potuit excogitari, quæ magnificentius omnium responderet exspectationi?

Cum igitur quidquid virtutum Romæ supererat, in eam patriæ caritatem defluxisse videretur, Ciceronis erat, patriæ ipsius amantissimi, eam Reip. utilitatem supra omnia erigere, secundum quam singula in ordine officia infra componeret. Suprema ergo apud eum ea agendi lex est: quandoque jam de civitatis commodis agitur, cætera omnia posthabenda idem arbitratur (III, 6), vel et ipsam filii in parentem pietatem. « Quid » enim, inquit, si tyrannidem occupare, si patriam » prodere conabitur pater? silebitne filius? imo vero » obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiat, » accusabit, minabitur etiam; ad extremum, si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris (III, 23). » Totus hic locus Brutinus est, Romanoque homine dignus. At plurimi præterea alii loci occurrunt, ubi in teterrimum Cæsaris exemplum invehitur (II, 7 — III, 21), necemque probat, exterritosque facinore interfectores erigit, confir-

matque. « Nulla enim, exclamat, nobis societas cum » tyrannis, sed potius summa distractio est ; neque est » contra naturam spoliare eum, si possis, quem honestum est necare : atque hoc omne genus pestiferum » atque impium ex hominum communitate exterminandum est (III, 6). » Quumque interitum legum ac libertatis acerbissimo cum dolore interdum queritur, eum ad Philippicas orationes jam præludere dixeris : adeo totis eloquentiæ suæ viribus, eam patriæ caritatem, supremam virtutem Romanorum, jam et ipsam languentem, in civium animis refovere conatur!

Ipse nempe et ultimus Romanorum alter dici potuit Cicero. Quid enim in agendo scribendove aliud sibi unquam, quam eam Romæ suæ laudem proposuit? Semper eam spectat, totoque animo complectitur ; sive perfectam civitatis imaginem, ad Platonis exemplar, adumbrare velit ; seu divinum quoddam legum corpus absolvere, mox a proposito ad contemplanda majorum instituta admiratione retrahitur ; nec quidquam jam veteribus illis sacrisque XII. Legibus præstantius apponi existimat. —Quod si denique in tractandis cæteris rebus interdum fluctuasse videtur, in ea vero patriæ caritate infixus ad extremum permansit : eumque videmus, cum jam ex interfectorum manibus evasisset, tamen rediisse, in patria saltem sæpe servata moriturum.

Sed eum præterea patriæ amorem, qui quondam in angustioribus unius urbis finibus continebatur, ad majus aliquid jam excelsiusque, quo magis creverit imperium, converti sensim ac dilatari in Ciceronis libris videas. Jam dudum enim Roma Latii terminos, jam Italiæ excesserat ; jam civitatem ad extremos orbis fines prolataverat, infusamque ferme omnem peregrinitatem in jura sua exceperat : inde rursus necesse erat, ut ea caritatis societas plures homines gradatim, ac totum

ferme genus humanum in eadem demum civitatis communitate complecteretur. Dum igitur vulgus, quod natura infra eam magnitudinem jacet, patria sic in immensum evanescente, quasi ea periisset, in Cæsarem jam, qui pro patria proque Diis indigetibus erat, omnia studia converterent : prudentiores vero homines, ademptis minutioribus majorum institutis, melius tum latiorem aliam omnibusque hominibus communem civitatem esse agnoverunt. Quemadmodum enim ex infinita Deorum colluvie, quos Roma pariter in suam religionem exceperat, facilius unius Dei opinionem exortam esse libenter affirmaverim; sic et Romanis, postquam omnes gentes in Urbem confluxisse vidissent, clarius inde elucere debuit humani generis unitas. — Quam tamen veritatem antea multis a philosophis defensam esse haud negabo : quorum principem Socratem ipsum accepimus dicere solitum, *se non Atheniensem modo, sed totius mundi civem esse* (1). Sic et Stoici totum orbem terrarum municipium suum esse profitebantur. Sed quanto id manifestius apparet, postquam revulsis, quibus singuli populi circumscriberentur, septis,

Romanæ spatium est *Urbis* et *Orbis* idem?

Communem vero illam omnium hominum societatem, universamque fraternitatem sæpe in hoc Opere attigit Cicero. « Non satis est, ait, civium utilitati con-
» suluisse; sed et secundum naturam est, pro omnibus
» gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis,
» maximos labores, molestiasque suscipere; imitantem
» Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum
» memor in concilio cœlestium collocavit (III, 5). »

---

(1) Plut. de Exil., 5.

— Quam doctrinæ sublimitatem per totam vitam tenuit Cato.

> Hi mores, hæc duri immota Catonis
> Secta fuit, servare modum finemque tenere,
> Naturamque sequi, patriæque impendere vitam,
> Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

Nusquam profecto eam humanæ societatis opinionem clarius expressam invenias : si jam vero quæsieris, quid inde ad usum vitæ Cicero exprompserit, tum apparebit universum illud antiquæ doctrinæ vitium, sterilitas scilicet atque in agendo imbecillitas. Quam enim sapientes veritatem vi rationis sæpe perspexerant, eam inutilem jacuisse dixeris, donec ignavam Christus divino quodam spiritu suscitaret; et ab otiosa contemplatione in vitam et mores devocaret.—Quid profuit, quod adeo magnifice de divino illo hominum consortio Cicero disputasset, si quid ex hoc proposito sequeretur, quidve præsertim de iniqua servorum conditione existimandum esset, aut omnino non viderit, aut cogere noluerit? Nusquam enim, cum ad usum venit, idem dubitasse videtur, quin jure pars hominum ab altera parte pecudibus exæquaretur (Lex Aquilia). Dum Christus contra mox pauperes ac servos pro Dei filiis habendos esse docebit, eos Cicero vix meminit homines esse. Nec satis tantam disserendi sublimitatem cum asperrima ea in agendo socordia una in eodem homine conciliare valeas. — Nam sæpe quæstio istiusmodi in Stoicorum libris agitabatur, *bonine viri esset in maxima caritate annonæ, familiam non alere? aut, cum in mari jactura facienda esset, equine pretiosi potius sapiens, an servuli vilis jacturam facere deberet :* re multum in utramque partem disputata, ad extremum Hecato, unus e princi-

---

(1) Phars. III.

pibus Stoicis, utilitate officium magis dirigendum quam humanitate censebat. Quid autem Cicero, qui eximiam hanc sententiam retulit? Annuit silentio, magistro sane assentiens. — Plura vero de servis, in librorum *de Rep.* fragmentis, invenias. Nam, quum de imperiorum differentia disputaret, et hujus rei similitudinem ex natura hominis assumeret, *ut filiis* dixit *imperari corporis membris*, *propter obediendi facilitatem*, *vitiosas vero animi partes*, *ut servos asperiore imperio coerceri* (1). Quem locum totum retulit Divus Augustinus contra Jul. Pelag. IV, 61. « Domini servum, aiebat Cicero, ita fatigant, » ut optima pars animi, id est sapientia, ejusdem animi » vitiosas imbecillasque partes, ut libidines scilicet, » ut iracundias, ut perturbationes cæteras. » Itaque servos, tanquam jumenta, aut feras potius, ex humanitate quodam modo ejicit. Ubi igitur jam illa est omnium hominum cum Diis societas? Sed ea servitii necessitas jampridem adeo in consuetudinem verterat, ut nec Aristoteles modo, sed ne ipse quidem Plato eam alterius partis hominum depravationem naturæ repugnare senserit. Nam servitutem uterque tuetur commendatque, et ad illius quam animo excogitaverat civitatis instituta accommodat. Vincebat enim apud eos publica utilitas. Quî vero ultra ipse progredi Cicero ausus esset, cui, præterquam quod totam ætatem in gerenda Rep. exegerat, semper ante oculos obversari debuit recens ista servilium bellorum memoria?

---

(1) August., de Civit. Dei, XIV, 23.

—Quam doctrinæ sublimitatem per totam vitam tenuit Cato.

> Hi mores, hæc duri immota Catonis
> Secta fuit, servare modum finemque tenere,
> Naturamque sequi, patriæque impendere vitam,
> Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo (1).

Nusquam profecto eam humanæ societatis opinionem clarius expressam invenias: si jam vero quæsieris, quid inde ad usum vitæ Cicero exprompserit, tum apparebit universum illud antiquæ doctrinæ vitium, sterilitas scilicet atque in agendo imbecillitas. Quam enim sapientes veritatem vi rationis sæpe perspexerant, eam inutilem jacuisse dixeris, donec ignavam Christus divino quodam spiritu suscitaret; et ab otiosa contemplatione in vitam et mores devocaret.—Quid profuit, quod adeo magnifice de divino illo hominum consortio Cicero disputasset, si quid ex hoc proposito sequeretur, quidve præsertim de iniqua servorum conditione existimandum esset, aut omnino non viderit, aut cogere noluerit? Nusquam enim, cum ad usum venit, idem dubitasse videtur, quin jure pars hominum ab altera parte pecudibus exæquaretur (Lex Aquilia). Dum Christus contra mox pauperes ac servos pro Dei filiis habendos esse docebit, eos Cicero vix meminit homines esse. Nec satis tantam disserendi sublimitatem cum asperrima ea in agendo socordia una in eodem homine conciliare valeas. — Nam sæpe quæstio istiusmodi in Stoicorum libris agitabatur, *bonine viri esset in maxima caritate annonæ, familiam non alere? aut, cum in mari jactura facienda esset, equine pretiosi potius sapiens, an servuli vilis jacturam facere deberet :* re multum in utramque partem disputata, ad extremum Hecato, unus e princi-

(1) Phars. III.

pibus Stoicis, utilitate officium magis dirigendum quam humanitate censebat. Quid autem Cicero, qui eximiam hanc sententiam retulit? Annuit silentio, magistro sane assentiens. — Plura vero de servis, in librorum *de Rep.* fragmentis, invenias. Nam, quum de imperiorum differentia disputaret, et hujus rei similitudinem ex natura hominis assumeret, *ut filiis* dixit *imperari corporis membris, propter obediendi facilitatem, vitiosas vero animi partes, ut servos asperiore imperio coerceri* (1). Quem locum totum retulit Divus Augustinus contra Jul. Pelag. IV, 61. « Domini servum, aiebat Cicero, ita fatigant, » ut optima pars animi, id est sapientia, ejusdem animi » vitiosas imbecillasque partes, ut libidines scilicet, » ut iracundias, ut perturbationes cæteras. » Itaque servos, tanquam jumenta, aut feras potius, ex humanitate quodam modo ejicit. Ubi igitur jam illa est omnium hominum cum Diis societas? Sed ea servitii necessitas jampridem adeo in consuetudinem verterat, ut nec Aristoteles modo, sed ne ipse quidem Plato eam alterius partis hominum depravationem naturæ repugnare senserit. Nam servitutem uterque tuetur commendatque, et ad illius quam animo excogitaverat civitatis instituta accommodat. Vincebat enim apud eos publica utilitas. Quî vero ultra ipse progredi Cicero ausus esset, cui, præterquam quod totam ætatem in gerenda Rep. exegerat, semper ante oculos obversari debuit recens ista servilium bellorum memoria?

(1) August., de Civit. Dei, XIV, 23.

VII.

De Utili. — Quatenus vir bonus privatis utilitatibus possit consulere. — De honestis ambitionis artibus.

Omni igitur ratione colenda et retinenda justitia est, tum ipsa propter sese, tum propter amplificationem honoris ac gloriæ.

(*De Off.*, II, 12.)

Postquam Reip. civis satisfecit, tum sibi suisque licet inservire. — Quid igitur sibi quisque debeat, quatenusque domesticis rebus honeste consulere possit, secundo sui operis libro subtiliter Cicero exsequitur, statuitque.

Jam Panætium supra vidimus, a principibus Stoæ dissentientem, præter id quod absolute honestum esset et per se expetendum, multas quoque alias res approbare, ut divitias, honores et similia, quæ, quamvis per se nihil honestum, nihil turpe habeant, non tamen despiciendæ videantur, quippe quum plurimum ad efficiendam vitam beatam proficiant. Itaque res istiusmodi quasi medias et per se indifferentes (ἀδιαφόρας) esse docebat; quæ in alias atque alias qualitates converti possent, prout quisque iis bene aut male uteretur: easdem nempe pariter aut in virtutis similitudinem, si bene tractarentur, adduci posse, aut si male, in vitium depravari. Inde secunda sua, κατὰ τὸ Καθῆκον, Officia ad popularem captum composuerat.

Sic et Tullius, quoniam non ad *perfectos homines* ac *plane sapientes* scribebat, totus hic ferme in mediocribus istis atque inter utilitatem virtutemque temperatis Officiis est. Bonum itaque virum tam parum ab augendis propriis rebus deterrere cogitat, ut minutissime

contra disputet, unde opes legitime parentur; ac protenus ipsam rursus *Utilitatem* in suas quoque partes describere, et intra justos fines reductam, cum media quadam honestate componere instituit. Plerumque enim vera hominis utilitas cum honesto adeo conjungitur, ut res altera alteri opituletur : nec profecto ea naturæ rerum discordia est (quod Stoici censebant), ut nemo sibi cæterisque simul possit consulere, et ad virtutem eniti, nisi prius alia omnia animi momenta compescuerit. Sed contra, quamvis honestum ab utili, utileque ab eo quod placet distingui debeat, ista tamen omnia inter se natura disjuncta, sæpe in eadem re ita conjunguntur, ut ad unum finem spectent, ratioque cum animi affectibus ad id obtinendum congruat.

Quantum ea virtutis cum utilitate conjunctæ institutio, Romanorum præsertim moribus consonuerit, satis apparet. Quis enim Romanam avaritiam ignoret, asperioremve illum Catonem, veterum morum sectatorem, id unum quód sibi patriæque utile esset spectantem, neque quidquam pro honesto ducentem, unde nullum fructum perciperet? Istis autem hominibus, qui utilitatem ante cætera omnia in publicis privatisque rebus consectarentur, jam ostentare voluit Cicero quamdam esse honestam suis quoque opibus consulendi rationem, neque adeo asperam et a communi usu aversam viam virtutis esse.

Non iis tamen in utilitatibus senator commoratur, quæ ex operosis artibus percipi possint; quippe qui haud ignobiles homines, artificiis negotiisve deditos, sed adolescentes tantummodo splendido ex loco ortos, in sua honestatis adumbratione, respiciat. Hos vero eximia cum subtilitate addocet, quibus bonis artibus hominum animos quisque sibi conciliare, et ad Remp. cum dignitate accedere possit. Virtutemque, in eo

VII.

De Utili. — Quatenus vir bonus privatis utilitatibus possit consulere. — De honestis ambitionis artibus.

> Omni igitur ratione colenda et retinenda justitiæ est, tum ipsa propter sese, tum propter amplificationem honoris ac gloriæ.
>
> (*De Off.*, II, 12.)

Postquam Reip. civis satisfecit, tum sibi suisque licet inservire. — Quid igitur sibi quisque debeat, quatenusque domesticis rebus honeste consulere possit, secundo sui operis libro subtiliter Cicero exsequitur, statuitque.

Jam Panætium supra vidimus, a principibus Sto[illegible] dissentientem, præter id quod absolute hone[illegible] ess[illegible] et per se expetendum, multas quoque alias [illegible] bare, ut divitias, honores et similia, [illegible], qu[illegible] se nihil honestum, nihil turpe hab[illegible] non despiciendæ videantur, quippe quum [illegible]um [illegible] ficiendam vitam beatam proficiant. [illegible] ist[illegible] modi quasi medias et per se indifferent[illegible] docebat; quæ in alias atque alias qu[illegible] possent, prout quisque iis bene aut [illegible] easdem nempe pariter aut in virtutis sim[illegible] bene tractarentur, adduci posse, aut si ma[illegible] depravari. Inde secunda sua, [illegible] popularem captum comp[illegible]

Sic et Tullius, quonia[illegible] *plane sapientes* scribeba[illegible] istis atque inter utilit[illegible] ficiis est. Bonum it[illegible] gendis propriis rebus [illegible]

contra disputet, unde opes legitime parent[illegible]
nus ipsam rursus *Utilitatem* in suas quoque [illegible]
cribere, et intra justos fines reductam, cum [illegible]
dam honestate componere instituit. Pler[illegible]
vera hominis utilitas cum honesto adeo [illegible]
ut res altera alteri opituletur: nec profec[illegible]
rerum discordia est (quod Stoici censeban[illegible]
sibi cæterisque simul possit consulere, et [illegible]
eniti, nisi prius alia omnia animi mome[illegible]
cuerit. Sed contra, quamvis honestum ab[illegible]
que ab eo quod placet distingui debeat [illegible]
omnia inter se natura disjuncta, sæpe in [illegible]
conjunguntur, ut ad unum finem spect[illegible]
cum animi affectibus ad id obtinendum [illegible]

Quant[illegible] virtutis cum utilitate con[illegible]
tutio, [illegible]rum præsertim moribus [illegible]
satis a[illegible] Quis enim Romanam avarit[illegible]
asperi[illegible]lum Catonem, veterum m[illegible]
[illegible] quod sibi patriæque uti[illegible]
[illegible]quidquam pro honesto du[illegible]
[illegible] perciperet? Istis autem
[illegible]te cætera omnia in public[illegible]
[illegible]rentur, jam ostentare [illegible]
[illegible]estam suis quoque opib[illegible]
[illegible] adeo asperam et a [illegible]
[illegible]tatis esse.

[illegible] in utilitatib[illegible]nator [illegible]
[illegible] artibus p[illegible]ssint
[illegible]ines, [illegible]egot[illegible]
[illegible]umn[illegible]lido
[illegible]respi[illegible]
[illegible], quibu[illegible]
[illegible]oncilia[illegible]
[illegible] Virtu[illegible]

mentemque versat per omnia, ac mira subtilitate vacuas inprimis istas ægritudines et fastidia, quibus homines tabescerent, describit : sed eum animorum languorem Cicero videre nec potuit, nec voluit.

VI.

De Patria. — Patriæ utilitatem pro supremo bono proponit Cicero, unde cætera officia vitæ certo κριτηρίῳ ordinentur. — Quæ ex ea patriæ religione Romæ consecuta sint, quum civitas totum orbem terrarum complecteretur.

Urbi pater est, urbique maritus.
Phars., II.

Quanquam Ciceronem in sua virtutis institutione neque Deos immortales, neque spem alterius vitæ respexisse diximus, non hic religionem tamen omnino defuisse, quæ omnes virtutis partes complecteretur, existimari velim. Undique enim inter tot diversa vitæ officia, eminet, ut ita dicam, ingens patriæ imago, quæ Romanis tum pro cæteris omnibus Diis habebatur; illud quasi totius disciplinæ suæ fastigium extollit Noster, quo cætera spectent, referanturque. Quandoque officia inter se, ut sæpe fit, videntur repugnare, continuo communem eam patriæ utilitatem ac gloriam, tanquam supremum discriminis κριτήριον admovet, unde planius singuli cives quid agendum, quid vitandum sit, discernant.

Non sat crat enim uno verbo cum Socraticis dixisse quidquid honestum esset cum vera utilitate esse conjunctum; honestatem igitur semper esse sequendam : et si quando quædam occurrerent specie quidem honesta, inter se tamen repugnantia, tum id quod honestum videretur, præferendum; idque item et utilius

fore. Nam profecto haud semper multas inter res liquet, unde major stet utilitas, honestasque, nisi qua ex communi mensura, singulæ inter se comparentur. Maximam præterea equidem utilitatem cum summo bono conjunctam esse concedo ; qua vero in re illud, quo omnes tendere debeant, supremum bonum constet, haud satis inter homines convenit ; sublata præsertim e mundo Deorum providentia, speque immortalitatis (1).

Plato nempe, cum in hac officiorum comparatione, hominem olim ad id tantum quod per se absoluteque bonum est, respicere juberet, sublimem profecto eam vitæ disciplinam ad animorum immortalitatem informabat, æternamque Deorum cum hominibus societatem divino suo ingenio complectebatur. — Aristoteles vero, qui virtutem rursus intra vitæ terminos coercebat, omneque bonum ex utilitatis respectu metiebatur, in ea utilium inter se comparatione, id, ut melius, præferendum esse censebat quod ad plurium utilitatem pertineret : prorsusque in eo summum bonum collocandum esse, unde universæ civitatis felicitas pareretur (2). Hoc igitur universale Peripateticis criterium fuit, quo omnia in vivendi disciplina referrent, atque unde perpenderetur quantum honestatis in singulis rebus inesset.

Ea est communis patriæ utilitas, quam et ipse suæ officiorum compositioni imposuit Cicero. « Si contentio » quædam, inquit, et comparatio fiat, quibus pluri- » mum tribuendum officii, principes sunt *Patria*, et » parentes, quorum beneficiis maximis obligati su-

---

(1) Non hic referam, quot diversæ de *summi boni natura* opiniones a philosophis tum defenderentur. Nulla autem unquam de re in gymnasiis magis ambigebatur; teste Terentio Varrone, qui suo tempore plusquam trecentas de eadem ea re sententias numerabat. — (2) Eth. ad Nic. I, 4.

» mus (Off. I, 17). » Et supra : « Quum omnia ratione ani-
» moque lustraris, omnium societatum nulla est gravior,
» nulla carior, quam ea quæ cum Rep. est unicuique
» nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui,
» familiares : sed omnes omnium caritates *Patria* una
» complexa est (1). »

Quid profecto majus opportuniusque altera illa patriæ religione tum potuit adhiberi, quo cætera officia convergerent? Sat enim omnibus compertum, qua singulari semper caritate Romani Romam suam excoluerint. Quorum si annales revolveris, eminet ubique ardentissimus ille patriæ amor : Reip. utilitas pro summo jure habetur; quam ad utilitatem instituta, leges, religiones, mores publici privatique, divina denique humanaque omnia flectuntur. Nam, ut de aliis taceam, quorsum tandem vetus ea Numæ de sacris institutio pertinuit, nisi ut superi Reip. ipsi inservirent, et quidquid patribus libuisset, auguriis confirmaretur ? Quod Q. Maximus, cum augur esset, ipse palam profitebatur : *optimis scilicet auspiciis ea geri, quæ pro Reip. salute gererentur; quæ contra Remp. fierent, contra auspicia fieri* (2). Postquam igitur obsoleta jam majorum superstitio nullam fidem obtinebat, restitit tamen sanctissimum illud civitatis numen, Romanaque fortuna, ad quam vota spemque suam populus converteret :

Summique o Numinis instar
Roma, fave cœptis.

Mox, ubi ipsa illa civitas in bellis civilibus perierit,

---

(1) Jam olim Lucilius in satiris dixerat :

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum.....
Commoda præterea *patriæ* sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

(2) De Senect., 4.

tunc demum et ille, qui in Reip. locum successerit, Cæsar novæ religionis Deus habebitur.

Uno verbo, semper Romæ decus ac felicitas supremum illud, quod civibus proponeretur, bonum esse honestumque Romanis visum est. Sed Tullianis imprimis temporibus, quid mirum, si tanta ea civitas adeoque splendida, et tanta laude cumulata civibus suis jam pro cæteris omnibus rebus fuerit? Quænam tum pulchrior virtutis merces esse potuit, quam illa totius civitatis, aut potius mundi, approbatio, totque honorum splendor, quibus præstantissimus quisque augeretur? aut quis jam alteram vitam desiderasset, quum sui saltem nominis laudem in gentis suæ perpetuitatem æternitatemque Romæ spes esset prorogandi? Quæve prorsus altera jam animorum immortalitas potuit excogitari, quæ magnificentius omnium responderet exspectationi?

Cum igitur quidquid virtutum Romæ supererat, in eam patriæ caritatem defluxisse videretur, Ciceronis erat, patriæ ipsius amantissimi, eam Reip. utilitatem supra omnia erigere, secundum quam singula in ordine officia infra componeret. Suprema ergo apud eum ea agendi lex est: quandoque jam de civitatis commodis agitur, cætera omnia posthabenda idem arbitratur (III, 6), vel et ipsam filii in parentem pietatem. « Quid » enim, inquit, si tyrannidem occupare, si patriam » prodere conabitur pater? silebitne filius? imo vero » obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiat, » accusabit, minabitur etiam; ad extremum, si ad per» niciem patriæ res spectabit, patriæ salutem ante» ponet saluti patris (III, 23). » Totus hic locus Brutinus est, Romanoque homine dignus. At plurimi præterea alii loci occurrunt, ubi in teterrimum Cæsaris exemplum invehitur (II, 7 — III, 21), necemque probat, exterritosque facinore interfectores erigit, confir-

mirum, si ipsi ad eam totius habitus εὐταξίαν, qua spectantium admirationem moverent, plurimum operæ contulerint? Eum autem decoris cultum ad tuendam dignitatem suam Romanus usurparet, necesse fuit.

Quæ inter multa de conservatione decoris præcepta, paucis quidem, sed aptissime Cicero describit, qualis sermo in circulis conviviisque esse debeat : qua confabulandi inter familiares Rhetorica exquisitius quidquam sane haud invenias (I, 37). — Quædam denique de hominis honorati domo adjicit; quippe quum ipsa ædium dignitas ad conspicuæ virtutis ejus splendorem adeo proficiat (39).

Quandoquidem virtus ea ferme tota in iis rebus, quæ sunt extrinsecus, posita est, propterea rursus multa quæ ad interiorem hominem pertineant, in his libris desideres. Frustra igitur hic moralem aliquam affectuum animi descriptionem, vivosque eos de moribus locos requiras, quos tanta ingenii subtilitate Aristoteles adumbraverat. Non tam enim naturam Romanus auctor observat, quam eam contra propositam ad normam ipse fingit : ac minus quis sit homo, docet, quam qualem eum esse deceat. Omnia itaque vel diversissima ad unam habitus compositionem redigit, et rigida eadem, ut ita dicam, toga omnia pariter involvit. — Qua in disciplina, ingenium non Stoici modo, sed etiam Romani viri licet agnoscas : quem cum frangi timore aut ardere desiderio pudeat, semper ab ea animi perturbationum descriptione aversos oculos tenet, ne quid intus occurrat, quod non satis viro dignum sit; ea quæ intimo sub pectore cupiditatum metusve momenta laterent, semper Romanus maluit ignorare (1).

---

(1) Præcipua ea causa fuisse mihi videtur (si modo id in transitu attingere liceat), cur tragœdia Romæ minus invaluerit. Quæ enim in moribus heroum po-

Quod si nunc tamen hoc Ciceronis opus cum eorum scriptorum libris confero, qui, sub Cæsarum principatu, de eadem philosophia morali disseruerunt, novissimos hos contra multo altius in animi recessus penetrasse invenio : utpote qui a publicis rebus gerendis exclusi, secum tandem vivere magis in dies cogerentur. — At præterea intimam rerum naturam, cum, solutis jam compagibus, moles ex omni parte fatiscit, sicut in apertis cadaveris visceribus arcana vitæ, facilius deprehendas. — M. quidem Tullius, etsi jam iniquis temporibus vivebat, ad spem adhuc pronior erat, libertatisque et gloriæ amantior, quam ut intus remedia ad sanandas animi ægritudines quæreret : omnia igitur præcepta ad actionem ostentationemque informat; extrinsecus spectat. Seneca vero, adempta dudum patria libertateque, in se ipse recessisse videtur, si modo calamitatum aspectum vitiorumque pestem posset effugere. Nullam enim tum virtus ad honores viam aperiebat : nulla erat hominum publica approbatio, qua boni ad præclare agendum impellerentur; nulla opinionis reverentia, nullum præter cujusque conscientiam virtutis incitamentum. Omnem igitur vivendi disciplinam Seneca ab exterioribus, ut ita dicam, ad interiora animi devocavit. Jam intimos sensus explorat,

---

tuit esse diversitas, vividaque affectuum pictura, cum ab omni perturbatione animi, quicumque in scena agitabatur, vacare deberet? Quam luculentam fabulam ex rigida Reguli persona exprimes, nisi invictam illam animi asperitatem paululum infregeris? Si quam autem Sophoclis Euripidisque fabulam Pacuvius in scenam latine apponeret, quidquid in moribus infirmius videbatur, fletus scilicet gemitusque, solebat recidere : Ulyssemque, ut exemplo utar, in extremis Niptris moribundum inducebat, aliorum fletus sic objurgantem :

> Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet :
> Id viri est officium : fletus muliebri ingenio additus.

Quoniam autem heros quilibet nulli dolori obnoxius videri deberet, quid jam ad commovendum theatrum restabat aliud, quam ut manus in veram stragem actores consererent? Tota ergo tragœdia Romana in gladiatorum ludis continetur.

mentemque versat per omnia, ac mira subtilitate vacuas inprimis istas ægritudines et fastidia, quibus homines tabescerent, describit : sed eum animorum languorem Cicero videre nec potuit, nec voluit.

VI.

De Patria. — Patriæ utilitatem pro supremo bono proponit Cicero, unde cætera officia vitæ certo κριτηρίῳ ordinentur. — Quæ ex ea patriæ religione Romæ consecuta sint, quum civitas totum orbem terrarum complecteretur.

> Urbi pater est, urbique maritus.
> *Phars.*, II.

Quanquam Ciceronem in sua virtutis institutione neque Deos immortales, neque spem alterius vitæ respexisse diximus, non hic religionem tamen omnino defuisse, quæ omnes virtutis partes complecteretur, existimari velim. Undique enim inter tot diversa vitæ officia, eminet, ut ita dicam, ingens patriæ imago, quæ Romanis tum pro cæteris omnibus Diis habebatur ; illud quasi totius disciplinæ suæ fastigium extollit Noster, quo cætera spectent, referanturque. Quandoque officia inter se, ut sæpe fit, videntur repugnare, continuo communem eam patriæ utilitatem ac gloriam, tanquam supremum discriminis κριτήριον admovet, unde planius singuli cives quid agendum, quid vitandum sit, discernant.

Non sat erat enim uno verbo cum Socraticis dixisse quidquid honestum esset cum vera utilitate esse conjunctum ; honestatem igitur semper esse sequendam : et si quando quædam occurrerent specie quidem honesta, inter se tamen repugnantia, tum id quod honestum videretur, præferendum ; idque item et utilius

fore. Nam profecto haud semper multas inter res liquet, unde major stet utilitas, honestasque, nisi qua ex communi mensura, singulæ inter se comparentur. Maximam præterea equidem utilitatem cum summo bono conjunctam esse concedo; qua vero in re illud, quo omnes tendere debeant, supremum bonum constet, haud satis inter homines convenit; sublata præsertim e mundo Deorum providentia, speque immortalitatis (1).

Plato nempe, cum in hac officiorum comparatione, hominem olim ad id tantum quod per se absoluteque bonum est, respicere juberet, sublimem profecto eam vitæ disciplinam ad animorum immortalitatem informabat, æternamque Deorum cum hominibus societatem divino suo ingenio complectebatur. — Aristoteles vero, qui virtutem rursus intra vitæ terminos coercebat, omneque bonum ex utilitatis respectu metiebatur, in ea utilium inter se comparatione, id, ut melius, præferendum esse censebat quod ad plurium utilitatem pertineret: prorsusque in eo summum bonum collocandum esse, unde universæ civitatis felicitas pareretur (2). Hoc igitur universale Peripateticis criterium fuit, quo omnia in vivendi disciplina referrent, atque unde perpenderetur quantum honestatis in singulis rebus inesset.

Ea est communis patriæ utilitas, quam et ipse suæ officiorum compositioni imposuit Cicero. « Si contentio » quædam, inquit, et comparatio fiat, quibus pluri- » mum tribuendum officii, principes sunt *Patria*, et » parentes, quorum beneficiis maximis obligati su-

(1) Non hic referam, quot diversæ de *summi boni natura* opiniones a philosophis tum defenderentur. Nulla autem unquam de re in gymnasiis magis ambigebatur; teste Terentio Varrone, qui suo tempore plusquam trecentas de eadem ea re sententias numerabat. — (2) Eth. ad Nic. I, 4.

» mus (Off. I, 17). » Et supra : « Quum omnia ratione ani-
» moque lustraris, omnium societatum nulla est gravior,
» nulla carior, quam ea quæ cum Rep. est unicuique
» nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui,
» familiares : sed omnes omnium caritates *Patria* una
» complexa est (1). »

Quid profecto majus opportuniusque altera illa patriæ religione tum potuit adhiberi, quo cætera officia convergerent? Sat enim omnibus compertum, qua singulari semper caritate Romani Romam suam excoluerint. Quorum si annales revolveris, eminet ubique ardentissimus ille patriæ amor : Reip. utilitas pro summo jure habetur; quam ad utilitatem instituta, leges, religiones, mores publici privatique, divina denique humanaque omnia flectuntur. Nam, ut de aliis taceam, quorsum tandem vetus ea Numæ de sacris institutio pertinuit, nisi ut superi Reip. ipsi inservirent, et quidquid patribus libuisset, auguriis confirmaretur? Quod Q. Maximus, cum augur esset, ipse palam profitebatur: *optimis scilicet auspiciis ea geri, quæ pro Reip. salute gererentur; quæ contra Remp. fierent, contra auspicia fieri* (2). Postquam igitur obsoleta jam majorum superstitio nullam fidem obtinebat, restitit tamen sanctissimum illud civitatis numen, Romanaque fortuna, ad quam vota spemque suam populus converteret:

Summique o Numinis instar
Roma, fave cœptis.

Mox, ubi ipsa illa civitas in bellis civilibus perierit,

---

(1) Jam olim Lucilius in satiris dixerat :

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum.....
Commoda præterea *patriæ* sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

(2) De Senect., 4.

tunc demum et ille, qui in Reip. locum successerit, Cæsar novæ religionis Deus habebitur.

Uno verbo, semper Romæ decus ac felicitas supremum illud, quod civibus proponeretur, bonum esse honestumque Romanis visum est. Sed Tullianis imprimis temporibus, quid mirum, si tanta ea civitas adeoque splendida, et tanta laude cumulata civibus suis jam pro cæteris omnibus rebus fuerit? Quænam tum pulchrior virtutis merces esse potuit, quam illa totius civitatis, aut potius mundi, approbatio, totque honorum splendor, quibus præstantissimus quisque augeretur? aut quis jam alteram vitam desiderasset, quum sui saltem nominis laudem in gentis suæ perpetuitatem æternitatemque Romæ spes esset prorogandi? Quæve prorsus altera jam animorum immortalitas potuit excogitari, quæ magnificentius omnium responderet exspectationi?

Cum igitur quidquid virtutum Romæ supererat, in eam patriæ caritatem defluxisse videretur, Ciceronis erat, patriæ ipsius amantissimi, eam Reip. utilitatem supra omnia erigere, secundum quam singula in ordine officia infra componeret. Suprema ergo apud eum ea agendi lex est: quandoque jam de civitatis commodis agitur, cætera omnia posthabenda idem arbitratur (III, 6), vel et ipsam filii in parentem pietatem. « Quid » enim, inquit, si tyrannidem occupare, si patriam » prodere conabitur pater? silebitne filius? imo vero » obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiat, » accusabit, minabitur etiam; ad extremum, si ad per» niciem patriæ res spectabit, patriæ salutem ante» ponet saluti patris (III, 23). » Totus hic locus Brutinus est, Romanoque homine dignus. At plurimi præterea alii loci occurrunt, ubi in teterrimum Cæsaris exemplum invehitur (II, 7 — III, 21), necemque probat, exterritosque facinore interfectores erigit, confir-

matque. « Nulla enim, exclamat, nobis societas cum » tyrannis, sed potius summa distractio est; neque est » contra naturam spoliare eum, si possis, quem hones- » tum est necare : atque hoc omne genus pestiferum » atque impium ex hominum communitate extermi- » nandum est (III, 6). » Quumque interitum legum ac libertatis acerbissimo cum dolore interdum queritur, eum ad Philippicas orationes jam præludere dixeris : adeo totis eloquentiæ suæ viribus, eam patriæ caritatem, supremam virtutem Romanorum, jam et ipsam languentem, in civium animis refovere conatur!

Ipse nempe et ultimus Romanorum alter dici potuit Cicero. Quid enim in agendo scribendove aliud sibi unquam, quam eam Romæ suæ laudem proposuit? Semper eam spectat, totoque animo complectitur; sive perfectam civitatis imaginem, ad Platonis exemplar, adumbrare velit; seu divinum quoddam legum corpus absolvere, mox a proposito ad contemplanda majorum instituta admiratione retrahitur; nec quidquam jam veteribus illis sacrisque XII. Legibus præstantius apponi existimat.—Quod si denique in tractandis cæteris rebus interdum fluctuasse videtur, in ea vero patriæ caritate infixus ad extremum permansit : eumque videmus, cum jam ex interfectorum manibus evasisset, tamen rediisse, in patria saltem sæpe servata moriturum.

Sed eum præterea patriæ amorem, qui quondam in angustioribus unius urbis finibus continebatur, ad majus aliquid jam excelsiusque, quo magis creverit imperium, converti sensim ac dilatari in Ciceronis libris videas. Jam dudum enim Roma Latii terminos, jam Italiæ excesserat; jam civitatem ad extremos orbis fines prolataverat, infusamque ferme omnem peregrinitatem in jura sua exceperat : inde rursus necesse erat, ut ea caritatis societas plures homines gradatim, ac totum

ferme genus humanum in eadem demum civitatis communitate complecteretur. Dum igitur vulgus, quod natura infra eam magnitudinem jacet, patria sic in immensum evanescente, quasi ea periisset, in Cæsarem jam, qui pro patria proque Diis indigetibus erat, omnia studia converterent : prudentiores vero homines, ademptis minutioribus majorum institutis, melius tum latiorem aliam omnibusque hominibus communem civitatem esse agnoverunt. Quemadmodum enim ex infinita Deorum colluvie, quos Roma pariter in suam religionem exceperat, facilius unius Dei opinionem exortam esse libenter affirmaverim; sic et Romanis, postquam omnes gentes in Urbem confluxisse vidissent, clarius inde elucere debuit humani generis unitas. — Quam tamen veritatem antea multis a philosophis defensam esse haud negabo: quorum principem Socratem ipsum accepimus dicere solitum, *se non Atheniensem modo, sed totius mundi civem esse* (1). Sic et Stoici totum orbem terrarum municipium suum esse profitebantur. Sed quanto id manifestius apparet, postquam revulsis, quibus singuli populi circumscriberentur, septis,

Romanæ spatium est *Urbis* et *Orbis* idem ?

Communem vero illam omnium hominum societatem, universamque fraternitatem sæpe in hoc Opere attigit Cicero. « Non satis est, ait, civium utilitati con-
» suluisse; sed et secundum naturam est, pro omnibus
» gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis,
» maximos labores, molestiasque suscipere; imitantem
» Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum
» memor in concilio cœlestium collocavit (III, 5). »

---

(1) Plut. de Exil., 5.

—Quam doctrinæ sublimitatem per totam vitam tenuit Cato.

Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo (1).

Nusquam profecto eam humanæ societatis opinionem clarius expressam invenias: si jam vero quæsieris, quid inde ad usum vitæ Cicero exprompserit, tum apparebit universum illud antiquæ doctrinæ vitium, sterilitas scilicet atque in agendo imbecillitas. Quam enim sapientes veritatem vi rationis sæpe perspexerant, eam inutilem jacuisse dixeris, donec ignavam Christus divino quodam spiritu suscitaret; et ab otiosa contemplatione in vitam et mores devocaret.—Quid profuit, quod adeo magnifice de divino illo hominum consortio Cicero disputasset, si quid ex hoc proposito sequeretur, quidve præsertim de iniqua servorum conditione existimandum esset, aut omnino non viderit, aut cogere noluerit? Nusquam enim, cum ad usum venit, idem dubitasse videtur, quin jure pars hominum ab altera parte pecudibus exæquaretur (Lex Aquilia). Dum Christus contra mox pauperes ac servos pro Dei filiis habendos esse docebit, eos Cicero vix meminit homines esse. Nec satis tantam disserendi sublimitatem cum asperrima ea in agendo socordia una in eodem homine conciliare valeas. — Nam sæpe quæstio istiusmodi in Stoicorum libris agitabatur, *bonine viri esset in maxima caritate annonæ, familiam non alere? aut, cum in mari jactura facienda esset, equine pretiosi potius sapiens, an servuli vilis jacturam facere deberet :* re multum in utramque partem disputata, ad extremum Hecato, unus e princi-

---

(1) Phars. III.

pibus Stoicis, utilitate officium magis dirigendum quam humanitate censebat. Quid autem Cicero, qui eximiam hanc sententiam retulit? Annuit silentio, magistro sane assentiens. — Plura vero de servis, in librorum *de Rep.* fragmentis, invenias. Nam, quum de imperiorum differentia disputaret, et hujus rei similitudinem ex natura hominis assumeret, *ut filiis* dixit *imperari corporis membris, propter obediendi facilitatem, vitiosas vero animi partes, ut servos asperiore imperio coerceri* (1). Quem locum totum retulit Divus Augustinus contra Jul. Pelag. IV, 61. « Domini servum, aiebat Cicero, ita fatigant, » ut optima pars animi, id est sapientia, ejusdem animi » vitiosas imbecillasque partes, ut libidines scilicet, » ut iracundias, ut perturbationes cæteras. » Itaque servos, tanquam jumenta, aut feras potius, ex humanitate quodam modo ejicit. Ubi igitur jam illa est omnium hominum cum Diis societas? Sed ea servitii necessitas jampridem adeo in consuetudinem verterat, ut nec Aristoteles modo, sed ne ipse quidem Plato eam alterius partis hominum depravationem naturæ repugnare senserit. Nam servitutem uterque tuetur commendatque, et ad illius quam animo excogitaverat civitatis instituta accommodat. Vincebat enim apud eos publica utilitas. Quî vero ultra ipse progredi Cicero ausus esset, cui, præterquam quod totam ætatem in gerenda Rep. exegerat, semper ante oculos obversari debuit recens ista servilium bellorum memoria?

---

(1) August., de Civit. Dei, XIV, 23.

VII.

De Utili. — Quatenus vir bonus privatis utilitatibus possit consulere. — De honestis ambitionis artibus.

Omni igitur ratione colenda et retinenda justitia est, tum ipsa propter sese, tum propter amplificationem honoris ac gloriæ.

(*De Off.*, II, 12.)

Postquam Reip. civis satisfecit, tum sibi suisque licet inservire. — Quid igitur sibi quisque debeat, quatenusque domesticis rebus honeste consulere possit, secundo sui operis libro subtiliter Cicero exsequitur, statuitque.

Jam Panætium supra vidimus, a principibus Stoæ dissentientem, præter id quod absolute honestum esset et per se expetendum, multas quoque alias res approbare, ut divitias, honores et similia, quæ, quamvis per se nihil honestum, nihil turpe habeant, non tamen despiciendæ videantur, quippe quum plurimum ad efficiendam vitam beatam proficiant. Itaque res istiusmodi quasi medias et per se indifferentes (ἀδιαφόρας) esse docebat; quæ in alias atque alias qualitates converti possent, prout quisque iis bene aut male uteretur: easdem nempe pariter aut in virtutis similitudinem, si bene tractarentur, adduci posse, aut si male, in vitium depravari. Inde secunda sua, κατὰ τὸ Καθῆκον, Officia ad popularem captum composuerat.

Sic et Tullius, quoniam non ad *perfectos homines* ac *plane sapientes* scribebat, totus hic ferme in mediocribus istis atque inter utilitatem virtutemque temperatis Officiis est. Bonum itaque virum tam parum ab augendis propriis rebus deterrere cogitat, ut minutissime

contra disputet, unde opes legitime parentur; ac protenus ipsam rursus *Utilitatem* in suas quoque partes describere, et intra justos fines reductam, cum media quadam honestate componere instituit. Plerumque enim vera hominis utilitas cum honesto adeo conjungitur, ut res altera alteri opituletur : nec profecto ea naturæ rerum discordia est (quod Stoici censebant), ut nemo sibi cæterisque simul possit consulere, et ad virtutem eniti, nisi prius alia omnia animi momenta compescuerit. Sed contra, quamvis honestum ab utili, utileque ab eo quod placet distingui debeat, ista tamen omnia inter se natura disjuncta, sæpe in eadem re ita conjunguntur, ut ad unum finem spectent, ratioque cum animi affectibus ad id obtinendum congruat.

Quantum ea virtutis cum utilitate conjunctæ institutio, Romanorum præsertim moribus consonuerit, satis apparet. Quis enim Romanam avaritiam ignoret, asperioremve illum Catonem, veterum morum sectatorem, id unum quód sibi patriæque utile esset spectantem, neque quidquam pro honesto ducentem, unde nullum fructum perciperet? Istis autem hominibus, qui utilitatem ante cætera omnia in publicis privatisque rebus consectarentur, jam ostentare voluit Cicero quamdam esse honestam suis quoque opibus consulendi rationem, neque adeo asperam et a communi usu aversam viam virtutis esse.

Non iis tamen in utilitatibus senator commoratur, quæ ex operosis artibus percipi possint; quippe qui haud ignobiles homines, artificiis negotiisve deditos, sed adolescentes tantummodo splendido ex loco ortos, in sua honestatis adumbratione, respiciat. Hos vero eximia cum subtilitate addocet, quibus bonis artibus hominum animos quisque sibi conciliare, et ad Remp. cum dignitate accedere possit. Virtutemque, in eo

præsertim loco, ob eam rem prædicat, quod ejus proprium sit movere approbationem hominum, et ad nostros usus adjungere (II, 5).

In explicandis autem singulis honestæ hujus ambitionis artibus, primum ponit nil aptius esse ad comparandas tuendasque opes, quam *diligi*, nihil alienius quam *timeri*. Deinde singulas facultates, quibus facillime hominum studia fidemque complecti possimus, ordine exigit. – Pauca quidem de *Amicitia* comparanda (de qua satis jam in libro peculiari) : plura vero de *Gloria* loquitur, amplissimo illo virtutis præmio. Quam laudis mercedem optimis viris ostendit, quo totis ii viribus contendant; sed eam, quæ semper cum virtute justitiaque conjungatur, gloriam. « Namque, ait, si qui simulatione et inani ostentatione, et » ficto non modo sermone, sed etiam vultu, se gloriam » consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur : ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum (II, 12). » Proximam igitur ac tutissimam viam ad laudem esse inde concludit, si quis id agat, *ut qualis haberi velit, talis sit.* — Multa porro de honorum ambitu, largitionibusque aptissime monet, ne ea quibus popularis gratia quæritur beneficia in perniciem largientis, aut eorum quibus datur corruptelam vertant (II, 15 et seq.); neve, quum juvare alios velis, alios offendas; « fundamentum » enim perpetuæ commendationis et famæ esse Justitiam (II, 20). » — Denique, ut omnia uno verbo complectar, omnia quæ antea descripserat officia rursus repetit Cicero, ut singulis utile aliquid, tanquam virtutis stimulum, subjiciat.

Quam enim pauci his temporibus homines erant, qui sua contenti approbatione, virtutem, nulla spe præmii,

amplecterentur? Cæteris igitur, gloriam saltem, honoresque, et quidquid vulgo præclarissimum habetur, omnia denique humana virtutis incitamenta Noster apponit : eorumque gratia prudentiorem eam, privatis utilitatibus accommodatam, sapientiam moderatur. Hic omnino Stoicum abjecit; restat tantum pater, homo, Romanus; jam nobiscum vivit; nec amorem sui, si modum haud excedat, justitiæ rationique repugnare arbitratur : non animi cupiditates omnino coerceri, sed in melius dirigi jubet; nec sapientis esse censet, omni ambitione vacare, sed justam ei honestamque viam ambitionis aperit. — Sunt tamen loci, ubi eum virtutem ad utilitatem nimium instruxisse, remissioribusque moribus ipsum morigerari merito dixeris : sive, ut Aristoteles, amicitiam describat negotiationi similiorem (φίλος ποιητικὸς πολλνῶ); sive patronum concedat nonnunquam verisimile, etiamsi minus sit verum, defendere (II, 14) (1), etc.—Quid autem? num atrocem illam sapientis personam malis, quam Seneca adeo supra vires hominis extulit, ut nulla virtutis esse posse videatur cum vitæ consuetudine conjunctio; ipsumque eum in agendo adeo sibi disparem vix agnoscas? Quæ quidem virtus superbior, humanaque aspernans, meam sane admirationem movet : multo autem magis mihi placet Ciceronis ea mediocritas, aliquid ex rigida ista sapientis majestate detrahentis, ne nimia asperitate quos emendare voluerit, fugaret. Aliquid hominum imbecillitati, opinionumque pravitati prudentius is condonat; civesque suos, quales sint, nec quales eos animo excogitare libuisset, simpliciter accipit, ut melius iis inde subveniat. Non altius enim spectare primum oportet : sed hominum temporumque, quibus prodesse ve-

(1) Cf. cum Orat. pro Cluentio, 50.

lis, habenda ratio est. « Catonem nostrum, inquiebat » Cicero, non quisquam amat plus quam ego. Sed ta- » men optimo animo utens et summa fide, nocet in- » terdum Reip. Dicit enim tanquam in Platonis πολιτεία, » non tanquam in Romuli fæce sententiam (ad Atti- » cum, II, 1). »

VIII.

De Utilis cum Honesto Comparatione.

> Multa quæ honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta.
>
> (*De Off.*, III, 23.)

Panætius, quem ducem hucusque Cicero secutus erat, « tribus generibus propositis, quibus deliberare » homines solerent; uno, cum dubitarent honestum » id esset de quo ageretur; altero, utile an inutile; » tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret » eum eo quod utile videretur, quomodo ea discerni » oporteret : de duobus generibus primis explicavit : » de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum » nec exsolvit quod promiserat (III, 2). » Qui profecto, cum eo disputationis venisset, noluit tum in lubricam istam de honesto deliberationem, ad ipsius exemplum, alios introducere; aut fortasse ab ea comparatione, asperis jam minutissimisque Stoicorum subtilitatibus impedita, fastidiose refugit. Eam vero prudentiam haud imitatus Cicero, tertiam istam partem, cum Posidonii commentariis (κεφάλαια), aliorumque quorumdam scriptis, in integrum restituere et absolvere tentavit.

Placebat sane Romano homini, positis Officiorum principiis, jam jurisconsultum agere, et quasi sella

sederet, ambigua interpretari, conscientiæque lites dirimere, si qua honestatis cum utilitate contentio occurreret. — Sed et adeo iniquis temporibus vivebat Cicero, ut sæpe ea, quæ viderentur digna esse justo homine, vi rerum commutarentur, fierentque contraria : tum aliquid necessitati condonandum fuit, tum justitia erat pro tempore moderanda. Nam Catonem huic necessitatum asperitati ipsum cessisse accepimus, atque in curia, ne Lucceius consul in Remp. crearetur, pecuniæ, contra leges ambitus, civibus largiendæ auctorem fuisse (1). Quæ cum Cicero vidisset, angustioribus ideo definitionibus describere voluit, quatenus certis in necessitatibus justitiæ posset derogari. — Adde quod Romanus formulis magis quam æquitati semper addictus fuerat; ita ut non ei satis esset quædam de honesto generalia poni, nisi quæ inde consequerentur officia in omnes partes magister describeret, et singulis vitæ actionibus aptaret. — At præterea, quemadmodum in corruptissima civitate plurimas esse leges necesse est (2), sic et morum disciplinam eo subtilius explicari oportuit, vitæque viam eo circumscribi accuratius, quo morum depravatio magis conscientiam, illam vitæ lucem, obscurasset. — Sed qui demum ista doctrina simplex esse potuisset, quæ, quum non satis suis fundamentis inniteretur, aliena undique adminicula quærere et diversissima inter se componere cogeretur? Cum jam igitur sapientiæ magistri umbratilem eam disciplinam in Stoa absolutam, ad lucem verosque hominum mores devocarent, undique in difficillimas quæstiones offendebant, quæ acuminis dialecticorum egerent.

Eum ergo tertium librum Ciceronis libens equidem

---

(1) Suet. Cæsar, 19. - (2) Tac., Ann. XII, 27.

contulerim cum minutissimis istis nostrorum doctorum de conscientia quæstiunculis, qui omnia officia subtilitatibus depravata, ad quemlibet vivendi habitum deflectere student. Plurimos autem istius modi recoctores moralium Stoica secta tulerat. Quorum dum alii quidem nullo modo de honesto transigi patiebantur; alii vero, ne virtus fortasse ob nimiam acerbitatem de medio hominum tolleretur, remissiores se præbere ac delictis hominum lenius solebant indulgere. Sæpe vero fieri debuit, ut in hoc lubrico multi non satis possent consistere, ac vitiis plus æquo obsequerentur: quin eo quidam venere, ut argutiis probarent sapientem corpus suum cunctis flagitiis, si modo mentem integram castamque servaret, addicere posse (1). Indeque singillatim describebant, quæ quamvis teterrima, sapiens indifferenter, aut etiam honeste per occasionem in se admittere valeret. — Quo quidem in nimio corporis despectu manifestam Orientalis ingenii inclinationem licet agnoscas. Etsi vero Cicero, Diogenem Babylonium in hoc Antipatrumque Sidonium, Hecatonemque duces præsertim secutus, in istis disputandi spinis longius hæreat, nunquam tamen ab honesto abstrahitur: aspernaturque acutissimas istas ac pene cynicas quæstiones, perversamque istam, qua quis in virtutem quasi obrepat, rationem. Non sapientem igitur quidquam fœdum aut flagitiosum, ne conservandæ quidem patriæ causa, facere patitur. Cumque permulta istiusmodi tetra obscenaque Posidonius ipse collegisset, hanc virtutis depravationem indignatur contra Cicero, contenditque nunquam tempus accidere posse, ut intersit Reip. quidquam illorum facere sapientem (I, 45). Sic mira

(1) Vide Stob. Eccl. II, p. 230. — Sext. Emp. hyp. Pyrrh. III, 201, 248.

prudentia, communisque usus respectu, semper medium quoddam, in quo vera virtus continetur, observat, et circumscribit.

Non eum ultra per definiendi argutias sequemur, singulasque fraudes, Romæ usitatas, insidiasve, quæ in mandatis, rebus emptis, venditis, conductisque latere possint, acutissime insectantem. Quibus autem in consultationibus (ut cuncta uno verbo complectar) eum semper videas eximia sagacitate formulas juris civilis legesque Romanas ad communem naturæ legem, tanquam ad originem suam, revocantem. Neque in his exsolvendis doli laqueis semper detinetur. Sed totum hunc tertium librum tot variis præterea exemplis ex Romana historia excerptis, venustissimeque tractatis adspergit, ac singulari suo ingenio adeo adornat, ut non satis jam hic distinguere valeas, quid ex aliis fontibus discipulus hauserit, quidve ex se ipso proprium extulerit : ingenti amni, ut ita dicam, similis, qui magnifico cursu rivos ex diversis montibus affluentes indistincte jam omnes permiscuit.

Hos de Officiis libros, mortuo Cæsare incœptos, paulo ante mortem suam, Hirtio et Pansa coss. absolvebat Cicero. Hic, inter supremam adversus Antonium dimicationem, virtutem suam patriæ justitiæque contemplatione erigebat : inde novos spiritus haurire, novaque quasi fortitudine accingere se videbatur. Et quem modo sapientem intrepidum periculis, patriæque amantissimum oratione expresserat, ipse in curia referebat acerrima actione : rursusque multa, ut diximus, in moralem eam disputationem ex senatu reportabat, quæ Philippicum aliquid redolerent. Sic omnia simul domi et in foro, scribendo pariter et agendo, ultimus ille Romanorum, quasi jam sibi mortem imminere præsensisset, ad sustinendam Remp. revocan-

damque pristinam virtutem conabatur : illeque liber quasi suprema ejus vox fuit, et cycni canor.

CONCLUSIO.

Superest nunc, ut quidquid de Ciceronis Officiis disputavimus, in unum contrahamus, et de summa rerum paucis repetita generaliter judicemus.

Quando igitur omnes morum disciplinæ in scolasticis disputationibus frustra exagitatæ hebescerent, Ciceronem vidimus Stoæ placita ad communem usum vitæ, quantum fieri potuit, devocantem. Primum, ad Socratis exemplum, honestatis originem ab ipsa natura deducit, ponitque aliquid *absolute* ac *per se bonum* esse, fontem Officiorum omnium; æternam eam scilicet *justitiæ* notionem, in ratione cujusque hominis a Deo penitus infixam, secundum quam tota vita informaretur. — Inde omnia vitæ derivat præcepta, ea vero moderatione, ut ex Stoica asperitate multa jam infirmitati humanæ, temporumque necessitati remittat, mediamque virtutem instituat, ab hominum consuetudine proximam. Quoniam ergo homines sua plerumque *utilitate* duci viderat, multus in iis rebus est, unde vir bonus opes sibi ac honores honeste parare possit : idque pervincere conatur, veram utilitatem plerumque cum honestate, quum in publicis rebus, tum in privatis adeo conjunctam esse, ut quisquam sibi haud melius consulere possit, quam si virtutem sectetur. — Sed postquam præterea nulla ferme supererat his temporibus religio, nulla Deorum auctoritas, nulla spes immortalitatis, qua omnis ea vitæ disciplina inniteretur, tum quidquid Romæ adhuc sacri, quidquid in civium animis honesti permansisset, singularem scilicet Romanorum

in patriam caritatem, *laudisque amorem*, *studiumque dignitatis* admovet, suisque officiis ea quibus *sanciantur*, subjicit. — Multa sane in ea virtutis comparatione reprehendimus, quæ nimis ad *ostentationem* composita viderentur ; ac sæpe auctorem diximus in hominis rerumque tanquam cortice hæsisse. Attamen, cum jam respeximus magis quid Cicero fecisset, quam quid in ejus opere desiderari posset, temporumque iniquitatem reputavimus ; tum singularem prudentiam tanti illius viri admirati sumus, qui virtutem ex communi omnium rerum naufragio eripere, eximiamque Stoæ disciplinam ad popularem captum accommodare voluit, eamque humanam, cum cætera omnia deficerent, humanis instruxit adminiculis.

Non hic præterea omnia de Ciceronis Officiis testimonia, ad cogendam disputationem, colligam : quod infinitum esset. Sed, ut cæteros omittam, quotiescumque Erasmus in his libris tam caste sancteque de vita præcepta offenderet, tanta eum subibat auctoris admiratio, ut codicem exoscularetur, quasi divinum aliquid, sanctumque illud pectus cœlesti numine afflatum veneraretur : ac parum abfuit, quin Tullium nostrum in Patrum Christianæ doctrinæ numerum adscriberet (1).

At profecto ipse equidem fatebor Ciceronem in ea morali institutione, quidquid valeret homo, quatenusque propriis viribus ad virtutem eniti posset, magnifice ostendisse. Sed postquam quod ille ad restaurandam majorum virtutem tentaverit approbavi ; si rursus temporum necessitates respiciam, jam speciosam eam extrinsecus disciplinam parvi aut nullius ferme momenti fuisse intelligo, ad sanandam imma-

(1) Colloq. Conv. Relig.

niorem istam, qua mundus tabesceret, morum corruptelam. Quod si nunc vero perfectum illud, in quo mens humana quidquid posset protulit, monumentum, Christiana cum doctrina comparetur, mox in salutem omnium gentium oritura, quantum infra divinæ illius sapientiæ sublimitatem altera ista jacere videbitur?

Quanquam equidem quæ tam sancte tamque divinitus de moribus ac virtute præceperint multi e veteribus philosophis, atque in primis Socratici Stoicique, minime elevare velim. Quos contra plurima de hominis origine, propositoque vitæ fine, plurima de Dei natura, ejusdemque cum hominibus societate, plurima denique de justitia vere perspexisse profiteor. Sed qui fit tamen, ut spectata ab iis veritas aut intra otiosas gymnasii disputationes agitata permanserit : aut, si quando ad usum descendat, vix unum alterumve sectatorem sibi conciliaverit? Divortio quodam profecto contemplationem ab actione plerumque separatam fuisse dixeris. Quam paucos nempe in antiqua ea philosophia homines invenias, qui simpliciter quid ex disputata opinione ad corrigendam vitæ rationem referri posset, quærerent? Aut quisnam tum mirabatur, si quis alius in disputando, aliusque, quum ad res retraheretur, jam fieret? — Merito eos sapientiæ cavillatores Jacobus, unus ex Apostolis, stolido viro comparabat, qui, postquam imaginem suam in speculo consideravit, extemplo abit, qualis esset, jam oblitus (1). Nam quid prodest veritatem vidisse, si eam pravis libidinibus obnoxiam, in injustitia detineas? aut quænam ista est veritas, quæ ferme inutilis atque otiosa jaceat; cum contra veritatis id proprium sit, ut quicumque eam sunt adepti, extemplo in immensum

(1) Epist. I, 23, 24.

diffundere studeant? Qui fit denique, ut Socraticæ doctrinæ ipsius splendor senescendo obscurari videatur, nedum clarius in dies eluceat? Nam quis demum philosophiæ a Socrate usque ad Ciceronem profectus fuit, nisi ut ipsas illas de Dei hominisque natura opiniones, quibus vera virtus consistere debeat fundamentis, undique contrariis sectarum disputationibus impugnatas, dubitatio in dies magis labefactaret? Tunc enim omnia, ut vidimus, adeo miscebantur, ut in hac diversissimarum sententiarum colluvie, quid verum esset, quid falsum, quisquam jam, præter Deum illum, quem Tullius ipse ad enucleanda omnia vocabat (1), vix potuisset discernere.

Sed ut primum ab Oriente nova lux illa Christianæ doctrinæ affulsit, inde jam omnes homines, nec principes modo ac litteratos, sed ignobiles imprimis penitus moveri, atque in novam vitæ rationem strenue sese accingere videas. Extemplo fit morum mutatio, quam, prout pleraque mortalium vulgo se habere solent, nunquam prævidissent vel prudentissimi : virtusque tandem vere ex otiosa contemplatione ad actionem revocatur. — At multi quidem sunt, qui Christum velint, quidquid in sapientum disciplinis præstantissimum invenerit, sibi vindicasse. Sed quid inde? Si quid enim ex istis humanæ sapientiæ fontibus Christus hauserit, ipse cuncta adeo expurgat, et ad priorem suum splendorem restituit, divinaque sua virtute tanquam inspirat, ut tota illa vivendi institutio ex divina origine defluxisse videatur : quamque doctrinam primum in iisdem, ac Stoicam ipsam rationem, principiis inniti, et quædam similia habere existimaveris, si propius vero accedas, jam intelliges illam alteri dissimillimam

(1) Tuscul. quæst. I, 11.

esse, ac tanto ei præstare, quantum cœlum a terra distare videatur. – Paucis, ut semel finiam, quædam summatim, quibus suam Officiorum disciplinam Cicero instituit, principia liceat ex novo eo prospectu repetere, ut ab hac comparatione manifestius appareat, quibus vitiis intus Tulliana ea ratio laboraret, quamque ob causam, tantos post conatus, secus tandem ceciderit.

At primum, spe alterius vitæ sublata, fundamentum toti huic officiorum institutioni, in quo consisteret, defuisse diximus. Quum tamen placebat Stoicis divinam providentiam esse, eamdemque humano generi consulere; quam ut opinionem sæpissime istius vitæ calamitatibus impugnatam ad extremum defenderent, omnia contendebant, quæ bona aut mala vulgo putantur, non in natura, sed in vana opinione esse. Quod ipse quidem Cicero, in *Tusculanis suis Quæstionibus* ac libris *de Finibus*, summis viribus disputaverat. —Hic autem istas jam subtilitates prudentius omittit. Quid enim diutius in inextricabilibus istis ambagibus commorari profuisset? Jampridem caligo erroris ex hominum oculis quasi cœli aspectum, unde via vitæ illustraretur, videbatur sustulisse. Quænam autem vera esse possit bonorum malorumque æstimatio, nisi curriculus vitæ ultra mortem prolatetur, instaurataque terræ cum cœlo communitate, omnia homo ad Deum referat, verum illum totius fabulæ vindicem? Inde tantum vitæ tenebræ discutiuntur, illustranturque arcana : tum demum manifestum apparet, quid de singulis rebus vere existimandum sit. — Dum vero Stoici, ad defendendam providentiam, dolorem non malum esse contortulis conclusiunculis nequicquam disputarent; Christus contra, immortalitate proposita, dolorem etiam, si quis scite pieque adversis uteretur, bonum esse posse docebat. Non hominem ille adversus for-

tunæ malignitatem reluctari jubet, non ei mortem, si qua gravior urgeat necessitas, tanquam portum aperit : at necessitatem contra, si quis eam, ut ipsius Dei voluntatem, subeat, patientia leniorem fieri præcipit. Quin imo, proposita post asperam illam immortalitatis exercitationem cœlesti mercede, acerbis etiam rebus quamdam dulcedinem, ac fletibus nescio quid voluptatis adhibuit, cum de monte diceret : « Beati qui lugent, quia consolabuntur ; beati, quos homines odio » prosecuti sunt propter me, quoniam ampla iis merces in cœlo paratur, etc. » — Tunc habet demum quo spectet laboriosa virtus. — Sed quæ interea potuit esse vis Stoicæ virtutis, quæ ea spe omnino careret? Quis profecto omnia pro honesto nequicquam pati velit? Quis per asperam viam magno animo progrediatur, si nescierit quo vadat, quo iter tendere debeat, neque post exilium cœlestem patriam prospiciat? « Quid » mihi, aiebat D. Paulus, adversus bestias Ephesi pugnasse profuit, si mortui haud resurgant? Manducemus et bibamus : cras enim moriemur (1). »

Postquam in hoc, quod præcipuum est, a vero aberrassent Stoici, inde totam eorum rationem perturbatam fuisse ostendimus. Qui tamen virtutem suam, quo fragilioribus ea aut potius nullis adminiculis staret, eo ferociorem (quod aliqua sane admiratione dignum est) primum effinxere. Sed quantum me sane sapientis istius semper misertum est, Deorum æmuli, qui alienis opibus omnino destitutus, suaque tantum fortitudine fretus, acerbissima omnia aspernari, et in superbia sua, tanquam in arce, inexpugnabilis acquiescere deberet? Omnia autem, quæ humana, infirma caducaque sunt. — At quanto ille contra in adversis rebus auden-

(1) Ad Cor. I, 15, 32.

tior erit, qui sibi parum confisus, in Deo innitetur? Quantumque protinus ab ignava Stoicorum indolentia discrepat humilis ea Christianorum in tolerandis malis patientia, quam divinam quamdam sperandi artem equidem dixerim? — Superbia enim virtutum Regina ac principium apud Ciceronem habetur : quam contra Christiani fontem omnium vitiorum appellant; rursusque iidem modestiam quasi virtutis splendorem extollunt, sed non eam profecto, quæ animi nervos elidat. Alter enim ille eorum Sapiens soli quidem se Deo submittit, sed quo fortius adversus homines aut temporum iniquitatem, si jussus fuerit, reluctetur. Dum igitur Seneca, multique Stoici, verbis tenus feroces, re vero timidi, tyrannorum libidinibus inservirent, pueros interea videas, mulierculasque pro Christi religione mortem fortiter adeuntes. Nec mirum id profecto: pauci sunt, qui sublimiorem eam propriis viribus Stoicorum constantiam assequi possint; dum contra omnibus Dei subsidium patet.

Sed eam plusquam humanam superbiam, firmissimum Stoicæ virtutis fulcimentum, cum ferme nemini sufficere ipse sensisset Cicero, tum eum, Panætio duce, mediam inde honestatem ad popularem usum temperare vidimus, undique utilitates vitæ, quasi virtutis subsidia, apponentem. Si conscientia per se apud plerosque haud satis valeat, tum adhibebitur ad confirmandam ejus auctoritatem hominum opinio. Haud majus ergo virtutis præmium Tullius excogitaverat, quam si sapiens in spectaculo positus, vulgi admirationem moveret! Quid autem ea virtus proficere potuit, quæ, cum ad sananda componendaque interiora hominis adhibenda esset, extra spectabat, ac ferme tota ad ostentationem sic referebatur? Isti quidem sapientes (ut sacris verbis utar) « *quærebant non apud Deum, sed apud*

» *homines gloriam : quam vero assecuti, perceperunt mer-*
» *cedem suam, vani vanam.* »

At præterea, quum omnem vivendi institutionem secundum naturam describere voluissent Stoici, qualis vero esset ea hominis natura, non satis perspexerant. Quis enim hominem, hinc adeo magnum, illinc adeo imbecillum, simulque tot contrariis affectibus distractum, enodare, ut ita dicam, valeat, nisi prius quod ab origine mundi de generis humani labe traditur, admiserit (1) : hominem scilicet, postquam primum ad effigiem Dei creatus esset, mox ex eo nativæ virtutis fastigio, quod obsequium detrectaverat, deturbatum fuisse; sed ita tamen, ut, quamvis fatali dehinc peccati sui labe inureretur, in se quædam divinæ suæ originiis vestigia retineret? — Sed ea intestini istius dissidii ratio veteres philosophos latuit. Dum igitur alii haud quidquam homine vilius atque abjectius esse affirmarent, alii contra sapientem, cunctis humanis infirmitatibus absolutum, parem Diis efficiebant; imo supra Deos eum interdum extulere. Quamque ut opinionem defenderent, Stoicos ostendimus, quidquid in homine deterius esset, nec satis ad placitum suum congrueret, omnino negantes, infirmioremque naturam haud secus instituentes, ac si ex omni parte sana ea fuisset. Quem igitur disparem hominem invenerant, unum ac simplicem eum fecere : vimque omnem ejus ac naturam, præcisis cæteris affectibus, tanquam alienis, in arctioribus Rationis quasi cancellis circumscribere aggressi sunt.

Ea præcipua mihi causa fuisse videtur, cur præclara illa virtus a Stoicis adumbrata segnior, ut ita dicam,

(1) Quod D. Paulus his verbis clarissime expressit : animo legem divinam amplector, carne autem peccato, quasi venumdatus inservio. — O me infelicem! quis me jam ex ista corporis servitute vindicabit? — Gratia Dei scilicet, Christique redemptio (ad Rom. VII, 14 et seq.).

atque prope tota extra actionem posita permanserit. Namque ipsi ultro omnes eas hominis facultates exciderant, quibus omne robur animi visque ac impetus agendi continetur. Atqui non satis est quid verum sit vidisse, nisi id quoque totis animi viribus amplecti velis: illa autem voluntas, quæ hominem ad præclare fortiterque agendum impellit, non ex ratione quidem, sed ex istis plane animi, quos Stoici extingui jubebant, conflatur affectibus. Sapientemque istum, qui totus in ratione sit, exarmato libens navigio contulerim, quod, deficientibus ventis, fluctibus quidem nequicquam agitetur, neque a loco discedat.

Rationem ergo equidem, quæ lux hominis esse videatur, principatum sane retinere velim; minime vero eam solam dominari; quippe quæ hiemali soli similis, illuceat quidem, nec calorem habeat. — Quin et adjiciam Stoicam eam sublimitatem plerumque ex animi mediocritate, meo judicio, confici; eosque viros multo mihi magis placere, qui interdum, subito quasi impetu, communem supra virtutem, ad id quod præstantissimum est assurgant, etiamsi minus in hoc fastigio consistere valeant: eamque opinionem a vero propiorem esse arbitror. Quid enim? Num diversas facultates Deus ipse homini dedit, ut is alias in se exscinderet omnino, in aliis vero totus esset? Sed eum potius Creator omnibus naturæ suæ momentis ad obtinendum finem suum uti jussit. — Nec homo, vel ex quo priori sua delapsus est integritate, adeo tamen secum discors est, neque ita facultates ipsius inter se repugnant, ut nunquam omnes simul ad unam actionem conspirare possint : sed contra sæpe fit, ut quod *rectissimum* ratio judicaverit, id *optimum* simul ac *utilissimum* videatur : triplicique ea, ut ita dicam, boni facie, triplicique simul ipsius natura, ad idem agendum impellatur homo. Cur igitur

ille, qui non minus ad actionem quam ad contemplationem creatus fuerit, affectus, id est, acerrimos agendi stimulos, exuat? – Quanquam haud diffitebor tamen Christianæ disciplinæ suos quoque Stoicos fuisse, qui sublimem eam indolentiam consectarentur. Si quid autem in ista sui ipsius abjectione nimium fuit, non divinus ipse magister auctor fuerat. Qui nempe animi cupiditates non tam expugnari jubebat, quam contra ad excitandam virtutem conferri : neque alios affectus, deteriores scilicet, coercebat, nisi ut reliquis melius, quasi vectibus, ad commovenda omnia uteretur.

Sic et nostrum Ciceronem vidimus, quum id ipse perspexisset, jam infra perfectum illud quod ad rationem solam pertinet honestum, secundæ notæ virtutem, cum vitæ utilitatibus animique affectibus conjunctam ac temperatam, instituentem : mediocrique huic virtuti honestiores animi cupiditates subjicientem, quibus ad bonum vir bonus stimulari posset, patriæ scilicet, parentumque caritatem, justamque ambitionem, laudis denique ac dignitatis studium. — Sed ea ipsa virtutis momenta quam paucis demum principibus viris, atque in conspectu omnium positis comparabantur? Quid ergo mirum est, si Tulliana ea morum institutio, cæteræque ejusdem modi disciplinæ, quæ nullam ignobilium servorumque, quasi humani generis essent expertes, curam habebant, ad irritum ceciderint? Partem enim multo majorem humanitatis extra virtutem reliquerant. — At contra ea præcipua fuit Christianæ religionis vis ac robur, quod ea universos homines pari caritate, ut Deum decuit, amplecteretur. Quin imo Christus pauperes et vitam in obscuro degentes præ cæteris videtur dilexisse (1) : iis gaudet cir-

(1) Gratias tibi, pater, ago quod arcana ea sapientibus, prudentibusque abscondita, parvulis contra revelasti (Math. XI, 25).

cumdari, iis ipse similis fieri voluit : atque adeo non servos ex humanitate ejicit, ut eos contra suæ quasi divinitatis participes efficiat. « *Nam quidquid feceritis*, » ait, *unicuique ex infimis fratribus meis*, *id mihi fe-* » *cistis* (1). » Sic et Paulus postea, Apostolorum princeps, ad Galatas scribebat : « *Mihi nec Judæus quis-* » *quam est*, *nec Græcus ; non est servus*, *neque liber ; non* » *est vir neque fœmina; omnes enim vos unum estis in* » *Christo Jesu* (III, 28) (2). » Tum vera demum restituitur totius generis humani cum parente omnium Deo societas ac consanguinitas ; ac tandem in morum disciplinam divina ea, sine qua omnis virtus sterilis atque ignava jaceat, introducitur hominum *Caritas*. Sed hæc hactenus.

Quod si denique, ut omnia uno verbo concludam, mihi quidem aut Tusculanas quæstiones, aut hos Officiorum libros, de quibus disputatio instituitur, perlegenti, eximia doctrinæ illius pulchritudo mirabiles amores excitat; quum ad Evangelium rursus Paulive Epistolas devenio, tantus jam adeoque divinus splendor undique oculis affulget, ut neminem, nisi Deum, in tantam sublimitatem sese unquam efferre potuisse, cogar profiteri. Postquam nempe homines pro suis viribus, ad assequendam virtutem suprema tentassent, restabat, ut opus inchoatum imperfectumque ipse numeris omnibus Deus absolveret. « *Qui est de terra*, *de* » *terra loquitur*. *Qui de cœlo venit*, *super omnes est*... » *Quem misit Deus*, *is loquitur divina* (3). »

(1) Matth. XXV, 40. — (2) Et Tertullianus : *si ignobilis*, *si inglorius*, *si inhorabilis*, *meus erit Christus* (adv. Marcian. III, 17). — (3) Joann. III, 30, 33.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XIII kal. febr. ann. MDCCCXLVI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

ROUSSELLE,

Rectoris vices gerens.

SUMMARIUM COMMENTATIONIS.

PRÆFATIO. . . . . pag. 3

I. Quibus in rerum Romanarum asperitatibus, M. Tullius aliquid ad Ciceronem suum de honesta morum disciplina scribere instituit. 5

II. Quid ex singulis, quibus tum Roma distrahebatur, philosophiæ sectis, ad instituendam suam vivendi disciplinam Cicero mutuatus sit.—Totus se ad secundam Stoam Panætii convertit. . 9

III. De universa Tulliani operis institutione. — Omnem vivendi rationem ex ipsa hominis natura penitus perspecta exprimit. . 20

IV. Virtutis in generales suas partes descriptio.—*Prudentia.* – *Justitia.* — *Fortitudo.* – *Temperantia.* 26

V. *De Boni Malique Sanctione.* — Sublata Deorum auctoritate, immortalitateque animorum, quibus virtus sanciatur, omnem jam Officiorum institutionem Cicero ad decoram ostentationem approbationemque hominum instruit. 37

VI. *De Patria.*—Patriæ utilitatem pro supremo bono proponit Cicero, unde cætera officia vitæ certo κριτηρίῳ ordinentur. – Quæ ex ea Patriæ religione Romæ consecuta sint, cum civitas totum orbem terrarum complexa est. 48

VII. *De Utili.*—Quatenus vir bonus privatis utilitatibus possit consulere.—De honestis ambitionis artibus. 56

VIII. *De Utilis cum Honesto Comparatione.* 60

CONCLUSIO. 64

PARISIIS.—TYPIS FAIN ET THUNOT, VIA RACINE, 28.





